

P V I S

1 6 1 8



- I. *Oratio de Casu Mirabili ad Academias.*
- II. *Simonis Stenii Dialogi duo Græcè conscripti.*
- III. *Oratio dua: una de Consensu Theologiae Lutheri cum Alia Epicuri, Hungeri Pontifici: altera Schilteri prioris Apologiam continens.*
- IV. *Pietii theses de Peccato Originali.*
- V. *Samuelis Porisii de Invidia.*
- VI. *Orationes Septem Johannis Pseffringero et Henrico Salmuthio in commendatæ Rectorum Lipsiensium habita.*
- VII. *Oratio Funebri de Augusto Saxonia Electore, Furmani.*
- VIII. *Oratio de Vita Christiana.*
- IX. *Oratio Chrysostomi de Exortio Viri Latine recitata.*
- X. *Davidis Vitti de Justitia et Bonis Operibus.*
- XI. *Oratio Auleanti quæ ad Altra Fuchium doctoris et Auditoris.*
- XII. *Tollani theses de Pelagianismo.*
- XIII. *Buschi oratio in actu Magistratu habita.*
- XIV. *Hutteri Laudatio Funebri Christiani II. Electoris Saxoniae.*
- XV. *Epistolæ Synopseos Myliana de Comœdiae Alismica.*
- XVI. *Morti Vituperatio et Laudatio et tui.*
- XVII. *Indicium obitui Conjugis D. Taschenlanger.*
- XVIII. *Oratio M. Aemilii Porti in Actu Magistratu.*
- XIX. *De Studiis Tevitarum Abstrusioribus.*
- XX. *Gedici De sensu Sexus Mulieris.*
- XXI. *Hoffneri Oratio Funebri Lysero habita.*
- XXII. *Oratio de Picta Avini Tranallitate.*

EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI;  
DN. DAN. LVDOLPHI;  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS,

Nf 34



DE  
PELAGIANISMO ET  
EIVS RELIQUIIS:

Theses historicæ, didascalicæ, &  
monitoriæ, ad dijudicandas controuersias,  
quas nonnulli circa doctrinam in primis de  
Prædestinatione, & de efficacia mortis  
Christi intempestiuè hodie mouent:

Et ad pios in veritate doctrinæ Catholicæ  
orthodoxæ confirmandos, conscriptæ

A DANIELE TOSSANO S. Theologia D. &  
Professore in Academiâ Heidelbergensi.



M.

HEIDELBERGÆ,  
Apud ABRAHAMVM SMESMANNVM,  
ANNO cIo. Io. xcV.

Clariss. et doctissimo Viro D. Gregorio  
Bergmanno: cum filiis



2

Handwritten text at the bottom of the page, likely a signature or date, though it is mostly illegible due to fading and bleed-through.







DE  
PELAGIANISMO  
ET EIVS RELIQUIIS.

THESIS PRIMA.



V M totus sit in eo Sathanas, ut veteres ac dudum explosos errores, interpolatos nobis reponat, & novas tenebras luci Evangelicæ offundat: operæ precium est, ut veteribus etiam armis, quibus hæreses debellavit Ecclesia, & cognitione veteris illius historiae Ecclesiasticæ instructi simus.

Occasio hæ-  
rum thesaur.

I.

Cum igitur inter alias hæreses easque periculosissimas PELAGIANISMVS, partim apertus: partim ambigua & sophistica oratione velatus, non tam gliscat, quàm magno impetu irrumpat, operam Ecclesiæ & studiosæ in primis inuentu-  
ti non malam nos nauaturos esse putauimus, si PELAGIANÆ hæreseos non historiam solum, verum etiam refutationis præcipua fundamenta ex pia antiquitate repeteremus.

III.

Ita enim fiet, ut quæ de nostri temporis Pelagianismo subiicientur, ex collatione cum illis veteribus, facilius diiudicari & piorum pectora simul in veritate Catholica vniri, & contra errores & Sophistarum fraudes muniri possint.

IV.

Accidet etiam nobis (ut spero) quod D. Augustino euenisse legimus lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 33. ubi scri-

A 2 bit, Pe-



4  
bit, Pelagianam heresin multum sibi profuisse, & Scripturis exercitatio- rem, vigilantio- remque & diligentio- rem ad Domini Iesu Christi gratiam defendendam ipsum reddidisse, & imprimis effecisse, ut quod Ticonius non satis olim intellexerat, fidem ipsam esse Dei donum gratuitum, non autem merito fidei alia dona nobis communicari, sit assensus.

V.

Cap. 88. de  
hæresib. cō-  
tra duas e-  
pist. Pelag.  
lib. 1. c. 7.  
Retract. lib.  
2. c. 33. Tom 3  
Pelagiano-  
rum patriar-  
cha.

Passim autem hanc heresin nouam, & suo tempore exor- tam, eamque recentissimam fuisse scribit Augustinus: quan- quam rectè Hieronymus, tum ad Ctesiphontem, tum in dia- logis contra Pelagianos ostendit eorum patriarchas fuisse Phi- losophos, qui vires humani arbitrij nimis extulerunt, & Pha- risæos, qui iustitiam Dei calumniabantur, suam constituere conabantur.

VI.

Pelagius  
quis fuerit.

Et horum quoque prodromi fuere (ut de Græcis doctoribus nihil dicamus, qui etiam ante Pelagium nimis multa de libe- ro arbitrio ex Ethnicorum scriptis hauserant) Cathari, En- cratitæ & similes: omnes illi denique, qui corruptæ huius naturæ crudeliter blandi & amici, inimici gratiæ Dei facti sunt, ut Pelagianis obicere solet Augustinus.

VII.

Hieron. ad  
Ctesiphont.  
Et Augustin.  
lib. 2. de pec-  
cator. meri-  
tis. cap. 16.

Fuit porro Pelagius natione Britannus, professione mona- chus, annis à Christo passo circiter 400, homo aliàs non in eru- ditus, circumspectus, & qui inculpatæ vitæ esse perhibebatur.

VIII.

In proœmio  
dialogorum  
aduersus Pe-  
lagianos.

Lib. 2. Re-  
tract. cap. 33.

Propterea religio eis initio fuit contra hominem scribere, & tunc etiam cum amicorum precibus ad scribendum compelle- rentur, nomini eius in principio parcebant. Ut omnibus pro- barem (inquit Hieronymus) me non odisse homines, sed erro- res, nec infamiam ipsorum, sed emendationem querere: sub ficto nomine Critobuli, cum eo in Dialogis differui, &c. Sic & Augustinus scribit, se initio sermonibus & colloctionibus, non



5  
non autem Scriptis cum eo egisse: Et in suis prioribus scriptis,  
ut in libris de peccatorum meritis & remissione, se eius nomen  
reticuisse, sperantem ipsum sic facilius corrigi posse.

### IX.

At illi postea magnum dolum, magnamq; malitiam in ho-  
mine deprehenderunt, & summam in singulis calumniandis  
audaciam, & quidem tantam, ut contra Deum ipsum & iu-  
stitiam eius linguam suam armaret, sicut de eo loquitur Hiero-  
nymus initio lib. 1. contra Pelagianos. Sic & Augustinus in-  
constantiam & fictas ac ambiguas voces, nec non & contra-  
dictiones multas eidem subinde obiicit.

Li. 1. de grat.  
Christi con-  
tra Cœlest.  
& Pelag. ca.  
1 & 31.  
Item li. 1. cō-  
tra 2. epist.  
Pelag. ca. 18.

### X.

In primis verò maledicæ ac petulantis linguæ fuisse duos eius  
parastatas, Cœlestium, & Iulianum, conqueritur Augustinus:  
Et de Iuliano nominatim scribit, eum insidiosè scribere soli-  
tum, ac ignavis ingeniis abusum, sibiq; persuasisse, si saltem  
non taceret, se aliquid respondisse.

Lib. 1. cont.  
Iulia. cap. 3.  
Et lib. 4. cōt.  
Iulian.

### XI.

Cum igitur serperet illa hæresis, & pro liberi arbitrij defen-  
sione aliquot libros scripsisset Pelagius, nonnulla etiam in  
epistolas D. Pauli: ad eum publicis scriptis refutandum accessit  
præ aliis Augustinus. Si illi, inquit (Pelagiani sc.) magno  
zelo accenduntur, ut infirmitati naturæ patrocini-  
um querant: multò ardentiori zelo accendi oportet,  
ne euacuetur crux Christi.

Non semper  
parceudum  
falsis docto-  
ribus.

Augustin. li.  
3. de peccat.  
meritis. ca. 1.  
Lib. de natu-  
ra & Gratia  
cont. Pelag.  
cap. 7.

### XII.

Porro Hieronymus quoque tribus dialogis eos refutavit,  
parcius tamen multò quàm Augustinus, cui ut iuniori notio-  
res fuerant Pelagianorum errores: & Augustini libros, tan-  
quam viri facundi & eloquentis, licet sibi non omnes visos  
commendat Hieronymus, in fine dialogi sui tertij contra Pe-  
lagianos.

Pelagij do-  
gma à quib.  
refutatum.

### XIII.

Libri illi Augustini extant tomo 7. operum ipsius: velut



6  
De peccatorum meritis & remissione: De natura & gratia. De  
nuptiis & concupiscentia. De predestinatione Sanctorum. De  
correctione & Gratia, & aliis quæ suo loco citabuntur.

XIV.

Tom. 2. Au-  
gust. ep. 92.  
& lib. 2. Re-  
tract.

At fuit Pelagij dogma non solum à Hieronymo & Augu-  
stino, Item ab Innocentio & Zosimo episcopis Romanis, refu-  
tatum ac improbatum: verumetiam in quatuor synodis dam-  
natum, nempe Palestina, Carthaginensi, in qua Cælestius ex-  
communicatus fuit, Mileuitana, & Arausicana.

XV.

Iam quinam errores Pelagij fuerint, & quibus fundamen-  
tis refutati, paucis exponemus, ea tamen seligentes, quæ ad ho-  
diernas controuersias ab irrequietis hominibus in nonnullis  
locis moras, diiudicandas maximè faciunt.

XVI.

Quemadmodum autem cæterorum hæreticorum plerique  
doctrinam de PERSONA Christi inuaserunt, & contami-  
narunt, velut Photinus, Arrius, Eunomius, Nestorius, Euty-  
ches: Sic Pelagiani doctrinam de eius OFFICIO, potissi-  
mum labefecerunt.

XVII.

Tom. 7.

Et fuit Augustino negotium primum quidem cum ipsis Pe-  
lagianis apertis. Deinde cum eorundem reliquiis, nempe cum  
aliquot aliis infirmis fratribus, qui plerosq; Pelagij errores im-  
probantes: certas tamen hypotheses Pelagianismum redolen-  
tes, ipsiusq; Pelagianismi semina quædam, retinebant, ut ex  
Prosperi & ex Hilarij Arelatensis, ad Augustinum epistolis sa-  
tis liquido colligi potest.

XVIII.

Tom. 7. lib. 2.  
de bono  
perseueran-  
tia.  
Hypotheses  
præcipue Pe-  
lagij.

Quæ verò contra apertos Pelagianos disputauit ipsemet,  
ad hæc tria reuocat: Tria sunt ( inquit ) quæ maximè aduersus  
Pelagianos Catholica defendit Ecclesia. 1. Gratiam Dei non se-  
cundum merita nostra dari: quoniam Dei dona sunt, & Dei  
gratia conferuntur. 2. In quantacunque iustitia sine peccatis  
nullum



7  
nullum vivere. 3. Obnoxium nasci hominem peccato primi hominis. Illos verò passim, nominatim in tractatu de haeresibus vocat inimicos gratiae Dei, qua in adoptionem filiorum Dei praedestinati sumus.

### XIX.

Ceterum duas potissimum ob causas difficile fuit cum ipsis certamen. Primum quia lubrici & inconstantes erant, verborumque homonymiis ludebant, & quod una manu dabant, altera eripiebant. Exempli causa: Increpatus Pelagius, quod nihil tribueret adiutorio gratiae, haecenus cessit, ut fateretur eam dari hominibus: sed per eam intelligeret facultatem homini datam agendi bona per liberum arbitrium. Item in conuentu Palaestinorum Episcoporum pressus & constrictus euidentia veritatis, pronūciauit, (licet ficto corde inquit Augustinus) anathema eos esse, qui gratiam secundum merita dari asserebant, aut gratiam Christi, qua venit in hunc mundum peccatores saluos facere per singulos actus & singulas horas non dari.

Cur certamen  
difficile fue-  
rit cum Pe-  
lagianis.  
Augustinus  
cap. 88 de  
haeresibus.

Li. 1. de Gra-  
tia Christi  
contra Cae-  
lestium &  
Pelag. cap. 2.

### XX.

Quis haec audiens, & sensum eius, quem in suis libris satis euidenter expressit, ignorans, (inquit Augustinus) non putaret eum sentire, quod veritas habet? Sed sensus eius est, per singulas horas & singulos actus in memoria retinendum, nobis hanc gratiam praeberi, ut possimus non peccare: & Christum iuste docendo & viuendo vitam nobis perfecta reliquisse exemplum: Gratiam Dei enim qua adiuuemur ad non peccandum, partim in ipsa natura, & libero arbitrio: partim in doctrina Legis & Euāgelij, qua ostēdat quid rectū sit, collocabat.

### XXI.

Altera causa difficultatis certaminis, & quae Pelagianis applausum, Augustino & Orthodoxis inuidiam creabat, haec erat, quod Pelagius profitebatur se Manichaeorum scopulos declinare: in eorum partes inclinare Augustinum: nec posse Manichaeis obuiam iri, nisi viribus humanis & libero arbitrio plus tribueretur.

Atque



## XXII.

Manichæo-  
rum & Pela-  
gianorum  
puli.  
Lib. 2 de nu-  
ptiis & con-  
cupiscentia  
cap. 3.

*Atqui utrumque scopulum declinandum esse, prudenter monuit Augustinus, Manichæorum scilicet, naturam humanam horribiliter vituperantium: & Pelagianorum, crudeliter laudantium. Catholici, inquit, dicunt, humanam naturam à Creatore bono Deo conditam bonam: sed peccato vitiatam Christo medico indigere: Manichæi dicunt non conditam à Deo bonam, sed ab æternarum principe tenebrarum ex commixtione duarum naturarum, bonæ & malæ hominem creatum, & substantiam ipsam hominis esse malam, item nuptias malas: Pelagiani contra volebant, ita conditum hominem bonum, ut Christi medicina non egeret: ea saltem quæ & paruulis peccata remittuntur, & adulti propter perpetuos lapsus & imperfectionem nostræ obedientiæ opus habent, sed adiutum hominem viribus liberi arbitrij Legem implere.*

## XXIII.

Lib. de per-  
serantia Sæ-  
torum c. 11.

Cōtra duas  
epist. Pelag.  
lib. 1. c. 2. & 18

Liberum ar-  
bitriū quale  
statuat Au-  
gustinus.

*Et rursus alibi Augustinus, vindicans Orthodoxam doctrinam à Manichæi erroris suspitione: Non intrudimus immutabilem aliquam naturam à malo Deo conditam, ut Manichæi: Hominem enim credimus libero arbitrio cecidisse: non autem surgere. Et alibi: Liberum arbitrium in peccantibus non periit, quia per illud peccant. Item: Non liberum negamus arbitrium etiam in bonis: Sed si Filius vos liberauerit, tunc verè liberi eritis. Hunc vos invidetis hominibus liberatorem, dum miseris captiuis aliquā tribuitis libertatem. Homines sunt opus Dei in quantum homines sunt: sub Diabolo, in quantum peccatores: nisi eruantur per eum, qui non ob aliud factus est Mediator inter Deum, & homines. Dicimus etiam Non ex Dei Potentia, vel in bonū, vel in malum aliquem Cogit: Sed Deo deferente pro meritis ire in malum; & Deo adiuuante SINE MERITIS cōverti ad bonū.*

*Quia*



XXIV.

Quia verò nec instituti nostri est, nec ea res unam sed multas disputationes requireret, si omnes Pelagij errores excutere vellemus, veluti de peccato originis, quod illi negabant: vel de perfectione Iustitiæ, quam statuebant, quales errores adhuc hodie Anabaptistarum plerique ex Pelagianis lacunis hauserunt: ut & Pontificij errores illorum de libero arbitrio, & operum meritis: venio ad id cuius gratia potissimum hanc disputationem instituimus: & ad hodiernas aliquot controuersias diiudicandas non parum facit: ut sc: ex B. Augustino fontes illorum errorum agnoscamus: hosce videlicet, quod non solum discrimen inter Naturam & Gratiā: inter Legem & Evangelium, inter statum hominis ante lapsum & post lapsum, haudquaquam perpendebant: verum in primis mysterium Redemptionis nostræ, & doctrinam æternæ predestinationis, quæ verum est gratuita redemptionis fundamentum, vel ignorabant, vel pervertebant.

Fontes erroris Pelagiani.

Hypothesis huius disputationis.

XXV.

Et de his quidem duobus postremis, quinam fuerint errores tam apertorum Pelagianorum, quam occultorum, & quomodo eos ex Scripturis redarguerit Augustinus, explanabimus.

XXVI.

Basim porrò totius ferè suæ disputationis contra Pelagianos hanc ponit Augustinus, ac subinde repetit, ex cap. 5. Rom. Quemadmodum per vnum hominem, à quo carnali generatione descendit genus humanum, omnes peccatores constituti sumus, non per imitationem solum, verum etiam per naturæ corruptionem ad nos propagatam: ita Christum esse eum, in quo omnes iustificentur & viuificentur, qui ei insiti sunt, & generatione spiritali renascuntur, ac filij Dei fiunt.

De peccatorum meritis lib. 1. cap. 15 & 28. Et li. 3. cap. 5. Et lib. de natura & Grat. cap. 22. Lib. 2 de nuptiis & concupiscent. cap. 27. Et li. 4. cont. Iulian. Locus ad Roman. cap. 5. v. 17. 19.

XXVII.

Hic iam questio mouebatur de officio Christi, an non sit  
B libe-

Vniuersalitatem redē-



70  
tionis quo  
modo vrge-  
bat Pelagi-

liberator omnium hominum, & tam efficax salus, ut omnes  
qui perierant in Adam, liberentur. Vrgebat enim Pelagius  
K N I V E R S A L E M particulam O M N E S, & antithesin A-  
dami prioris & posterioris.

XXVIII.

Vnde emer-  
ferit questio  
de Prædest.  
& eius vsus.

Ex solutione postea huius questionis, siue ex distinctione  
illius vniuersitatis, emerfit questio de prædestinatione planè  
utilis ac necessaria, si doctrinam illam auream de Gratia Dei  
& gratuita iustificatione, & de salutis certitudine saluam &  
incorruptam retinere volumus.

XXIX.

De perseuc-  
rant Sanct.  
cap. 24.

Sicut enim (inquit Augustinus) pœnitentia predicanda est,  
ut admoncamur de obedientia Deo debita: Ita & prædestina-  
tio, ut qui obediunt, non in homine, aut seipsis, sed in Deo  
glorientur.

XXX.

Videamus itaque quid Augustinus Pelagianis de loco illo  
Rom. 5. v. 18. responderit: sicut per vnam offensam rea-  
tus venit in omnes ad condemnationem: ita per v-  
nam iustificationem gratia (scilicet redundauit) in  
O M N E S H O M I N E S ad iustificationem vitæ, &c.  
quem locum sic eludere conabatur Pelagius: Si Adæ pecca-  
tum etiam non peccantibus nocuit: Omnes enim peccatores  
dicuntur in Adam. Ergo Christi iustitia etiam non creden-  
tibus prodest.

XXXI.

Respondet Augustinus, primum: ut procedat antithesis,  
ita illam esse formandam: Sicut omnes pertinentes ad genera-  
tionem carnis moriuntur in Adam: Sic omnes pertinentes ad  
generationem spiritus viuificantur in Christo.

XXXII.

Deinde vniuersalem illam ab Apostolo bis explicari voce  
magis restricta M V L T O S. v. 15, & 19. Item restringi  
v. 17. ad eos, qui redundantem illam gratiam accipiant, id est  
fide sibi applicant.

illum



XXXIII.

Illam etiam locum sic variis in locis resolvere solet Augustinus: Omnes peccarunt in Adam, & omnes vivificantur in Christo: id est: Quicumque peccatores sunt & moriuntur, sunt filii Adami: Ita quicumque iustificantur & vivificantur, iustificantur per Christum: Sicut uno ludimagistro in ciuitate constituto, rectissime dicitur: Hic ludimagister omnes docet, non quod omnes ad eum veniant, aut discant, sed quia nemo in illa ciuitate, nisi ex illo discit.

Li. 3. de peccat. merit. cap. 22.  
Lib. 2. de nuptiis & concupisc. c. 27.  
De predest. Sanct. ap. 8.

XXXIV.

Urgebant Pelagiani illam etiam VNIVERSALEM A. Tim. 2. Deus vult OMNES seruari, & ad veritatis agnitionem venire: ideo autem multos non seruari statuebant, quod nolent pulsare & petere, cum Deus omnibus pulsantibus & petentibus velit dare salutem.

Lib. 4. contra Iulian.

XXXV.

Hic deducit Augustinus Pelagianos ad duo absurda. 1. Si urgeamus precise vniversalem OMNES, etiam Diaboli, aut saltem sceleratissimi omnes, & qui non credunt, sub illa vniversali comprehenderentur. 2. Si Deus omnino vult omnes seruari, aut omnes nullo excepto seruabuntur, quod non fieri agnoscebant Pelagiani: aut NOLLE hominum fortius & potentius erit, quam Dei VELLE.

XXXVI.

Ac vult quidem seruari omnes, (inquit Augustinus,) venientes scilicet ad cognitionem veritatis: Omnes quos ei dedit Pater: Omnes, de quibus dicitur 2. Tim. 2. Nouit Deus qui sui sunt: Omnes qui credunt, sicut vniversalis illa Iohan. 3. & alibi explicatur.

XXXVII.

Sic placuit Deo per Christum reconciliare *τὰ πάντα*, OMNIA. Quomodo OMNIA, querit Ambrosius siue Prosper Aquitanicus, An ergo nullus est exors huius reconciliationis? Habet certe populus Dei suam plenitudinem: & quam-

Coloss. 1.  
Lib. 1. de vocat. Gen. 1. c. 1.



uis magna pars hominum saluantis gratiam repellat: In electis  
& præsctis, & ab omnium generalitate discretis specialis qua-  
dam censetur VNIVERSITAS, ut de toto Mundo totus  
mundus liberatus, & omnes homines videantur assumti.

XXXVIII.

Veterum &  
nouorū Pe-  
lagianorum  
instantia.  
Matth. 23.

Atqui (inquebant Pelagiani) omnes vult saluos fieri, sed  
non omnes volunt: iuxta illud, Quoties volui te congre-  
gare, sed noluiſti. Voluit certè Deus, sed eo ordine, quo con-  
gregamur ad vitam æternam, si scilicet congregemur in eius  
Ecclesiam & credamus in eum: ac illud quidem NOLLE  
nostrum est, nostra, inquam, corrupta natura: VELLE au-  
tem est diuinæ gratiæ opus in iis qui vocantur secundum pro-  
positum, inquit Augustinus.

XXXIX.

De gratia  
Christi con-  
tra Cœlest.  
& Pelag.

Philipp. 2.

Ideo Pelagianis liberum arbitrium in hominis conuersione  
statuentibus, & possibilitatem naturæ insitam tanquam radi-  
cem fructiferam, respondit Augustinus, VELLE quidem no-  
strum esse: ut benè velimus, Dei, qui pro sua bona voluntate  
in nobis operatur VELLE & PERFICERE.

X L.

Rom. 9.

Loca Scri-  
pturæ Pela-  
gianis op-  
posita.

Act. 16.

2. Cor. 3.

3. Cor. 4.

Iisdem præterea hæc loca semper opposuit: Non est volentis,  
sed misentis Dei: non quod homo velit, & Deus nolit, sed  
quia viribus nostris non valemus VELLE, sed voluntas à  
Deo secundum misericordissimam voluntatem preparatur,  
sicut Lydiæ purpurariæ cor apertum fuit. Non enim idonei  
sumus, ne cogitare quidem ex nobis ipsis aliquid bo-  
ni. Item, Quid habes homo quod non acceperis?  
Et Christus ipse Matth. 13. Vobis datum est nosse my-  
ſteria regni cœlorum: aliis non item. Et Act. 13. Credi-  
derunt omnes ordinati ad vitam æternam, id est, præ-  
destinati, inquit Augustinus.

XLI.

Iohan. 6.

Idem ex D. Iohannis Euangelio memorabilia hæc loca op-  
posuit, Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui mi-  
ſit me.



73  
sit me, TRAXERIT EVM. Non enim dixit, inquit  
Augustinus, DVXERIT, quasi aliquo modo praece-  
deret voluntas. Nam quis trahitur si iam antè volebat? Et ta-  
men nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis homo  
ut velit, ab illo qui nouit intus in ipsis cordibus operari, ut  
VOLENTES ex NOLENTIBVS fiant. Hoc verum esse,  
non coniectura suspicamur humana: sed euidentissima di-  
uinarum Scripturarum autoritate dignoscimus, &c.

Contra duas  
epist. Pelag.  
l. b. i cap. 19.

XLII.

Alter locus est Iohan. 10. ubi Christus ait, O VES suas  
agnoscere & audire vocem sui pastoris. Et postea subii-  
citur antithesis: Vos non creditis: quia non estis de oui-  
bus meis. Quare sic dixit, inquit Augustinus? Quia vide-  
bat eos ad sempiternum interitum prædestinatos:  
non ad vitam æternam sui sanguinis precio compara-  
tos.

Tractat. 48.  
in Iohan.

XLIII.

Hinc deducimur ad doctrinam prædestinationis, quia nunc  
emergunt hæc quæstiones: Quare Deus alios vocet effica-  
citer, alios non? Item, quare non omnibus det gra-  
tiam: imò nonnullos induret? An sit ergo apud eum  
acceptio personarum; vel an sit autor peccati im-  
piorum?

Calumnia  
contra Do-  
ctrinam de  
Prædestinat.

XLV.

Acceptio personarum non esse apud Deum non solum  
Scriptura apertè & sæpe docet: Verum etiam his verbis pul-  
chrè explicat Augustinus: Acceptio personarum ibi rectè  
dicitur ubi ille qui iudicat, relinquens causæ meri-  
tum, alteri contra alterum suffragatur, ideo, quod ali-  
quid inuenerit in persona, quod honore, vel commi-  
seratione sit dignum. Si autem quis duos habet de-  
bitores, & alteri velit dimittere debitum: alterum e-  
xigere: cui vult donat, sed neminem fraudat: nec ac-  
ceptio personarum dicenda est, quando iniquitas  
nulla.

Lib. 2 cōtra  
duas episto-  
las Pela-  
gian. ca. 7.



74.  
nulla est, ut *Matth. 20. dicitur*. Amice non facio tibi iniuriam : Annon licet mihi de meo facere quod lubet?

XLV.

Lib. de peccat. meritis  
ca 18.

*A*Equè alienum est, imò nefas, inquit Augustinus, malam voluntatem ad Deum referre, Deumq. facere autorem peccati, cuius potius & iustissimus ordinator, & severus ultor est, ut loqui solet idem Augustinus.

XLVI.

Deus quomodo induret.  
Li. de prædestinat. & Gratia.

Rom. 8.

*N*am quod INDURARE, aut EXCÆCARE dicitur Deus, non est id ita intelligendum (inquit Augustinus) quasi Deus in homine duritiam, quæ non esset, operetur. Indurare dicitur Deus eum, quem mollire noluit. Sic repellere eum, quem vocare noluit: Quos enim prædestinavit, eos vocavit & iustificavit.

XLVII.

*A*c id quidem quantum ad humanum iudicium durum & iniquum videtur: Si OMNES servari vult, eum quosdam indurare: Sed quis ita desipiat, vel potius ita blasphemet, inquit idem, ut dicat de iustitia Dei, lege humane iustitie disputandum?

XLVIII.

Lib. 1. contra duas epist. Pelag. ca. 20.

*S*ufficit scire homini, quod non est iniquitas apud Deum: Iam quomodo ista dispenset, faciens alios secundum meritum vasa iræ: alios secundum gratiam vasa misericordie: Quis cognovit sensum Domini: aut consiliarius eius fuit?

XLIX.

Lib. 4. contra Julian. Et lib. 5.

*I*n iis quos damnat, demonstrat quid omnibus debeatur, ut indebitam gratiam servati agnoscant. Quis prior ei dedit? NULLVM ELEGIT DIGNVM: sed eligendo dignum fecit: Nullum tamen punit indignum.

L.

*C*um nascamur debitores, & ipsa unde descendimus massa, damnabilis sit: nullus de duritia sua: nullus de pœna, inquit idem Augustinus, conqueratur. Quod aliis Deus gratuita



15  
iusta vocatione conuersis misericordiam largitur in debitam:  
non ad dispensatoris iniustitiam, sed ad donantis misericor-  
dissimam largitatem referendum est. An audebit debitor cre-  
ditorem iniquitatis redarguere, si alteri donans, ab eo quod  
debeatur exegerit? QVIS IN TANTAM INSA-  
NIAM PROFANÆ vocis erumpat, ut iniustitiæ Deum  
arguat? cuius iudicia occulta & abyssus multa, non autem  
iniqua esse possunt.

LI.

At (inquebant Pelagiani) præsciuit Deus credentes, & An ob præ-  
benè operaturos. His respondet Augustinus: Quomodo sentiam Fi-  
verò GRATIA esset, si non gratis daretur? Quo- dei nostræ  
modo gratis daretur, si Fidei vel operibus præiis vel operum  
redderetur, non iam gratuita, sed debita gratia? con- nos Deus e-  
tra dictum Pauli Eph. 2. Gratia seruati estis per fidem, legerit.  
idque non ex vobis, Dei donum est, Li. de Gratia  
& Pelag. ca. Christi con-  
23 & 31. tra, Cœlest.,

LII.

Et fuit quidem Augustinus aliquando in ea sententia, De prædest.  
quam tamen postea agnoscens Dei gratia & gloriæ non parum Sanct. c. 17 &  
detrabere, retractauit: nimirum Deum præsciuisse Fidem, que lib. 1 Retra-  
esset futura in nobis: quod non satis attendisset fidem gratia stat. ca. 23.  
Dei præueniri, eiusq; esse munus.

LIII.

His porrò immotis fundamentis docet PRÆVISIONEM  
illam Fidei euerti. Primum dicto Pauli, quo maximè fue- 1. Cor. 4.  
rit commotus: Quid habes quod non acceperis? Dein-  
de VOCATIONE secundum PROPOSITVM, quam  
antea non satis expendit: Non enim, inquit, omnium qui  
vocantur, salus est, sed tantum Electorum. Lia. 5 contra  
Iulian.

LIV.

Multi quippe vocati: pauci verò electi: quos nimirum præ- Matth. 20.  
sciuit, prædestinavit & vocauit: Electi ante mundi constitu- Rom. 8.  
tionem, ab eo, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam sint: ut sit Eph. 1.  
Electi gratuita, quæ gratuita non esset, si quid in nobis præ-  
B. 4 cogno-



cognouisset, cui dona retribuerentur.

L V.

Ex isto numero Electorum & predestinatorum, inquit idem ibidem) etiam qui pessimam duxerunt vitam, adducuntur, & in viam reuocantur ut ostendatur eis, de quam profundo malo possit Deus liberare. Ex his nemo perit, quacunque etate moriatur, iuxta illud Ioh. 6. Hæc est voluntas Patris, ut omne quod dedit mihi, nihil perdam de eo. Ceteri qui ex hoc numero non sunt: ex eadem quidem massa ex qua & isti, sed vasa ira facta sunt.

L VI.

Non enim quenquam (ut idem subiicit) Deus fortuito creat, aut quid de illis boni operetur, ignorat. Quamuis ergo omnes ex eadem massa perditionis & damnationis iram sibi thesaurizent: Deus tamen alios per misericordem bonitatem adducit ad pœnitentiam: Alios secundum iustum iudicium non adducit.

L VII.

Rom. 1.

Habet enim potestatem alios adducendi, alios tradendi in passiones ignominia. Sed ipse conuenienter tradit: & fiunt eadem peccata & peccatorum supplicia præteritorum, & suppliciorum merita futurorum.

L VIII.

Ibid. lib. 5.  
contra Iulii.

Facit hæc miris & ineffabilibus modis, qui nouit iusta iudicia sua, non solum in corporibus hominum, sed & in ipsis cordibus operari: qui non facit voluntates malas, sed utitur eis, ut voluerit, cum aliquid iniquè velle non possit.

L IX.

Ibidem.

Nos certè, si eos, in quos potestas nobis est, ante oculos nostros perpetrare scelera permetteremus, rei cum ipsis essemus. Quàm verò innumerabilia ille fieri permittit, quæ utique SINOLVISSET, nulla ratione permetteret, & tamen bonusest, iustus est, & omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt.

Inter



LX.

Inter alia verò Scripturæ loca quibus Augustinus probavit nullam hinc operum vel Fidei prævisionem fuisse, est locus ille Rom. 9. de duobus gemellis, & postea de Pharaone.

LXI.

Duorum geminorum exemplum, inquit, proponit Apostolus, propter quos, non ex operibus (quia nondum aliquid operati fuerant boni vel mali) sed ex vocante, dictum est, Maior seruiet minori: & Iacob dilexi, Esau odio habui. Et hanc profunditatem eò perducit, ut dicat: Ergo, cuius vult, miseretur. Et quia prævidebat Apostolus, quid mouere nonnullos posset, mouet ipse questionem: Dices ergo mihi, Quid adhuc succenset: nam voluntati illius, quis resistit? Respondet D. Paulus: Imò verò, ô homo, tu quis es, qui ex aduerso responsas Deo? Annon habet figulus potestatem, ut ex eodem luto faciat vas, aliud ad honorem: aliud ad ignominiam?

Lib. 2. contra  
duas epist.  
Pelag.  
Locus ad  
Rom. ca. 9.

LXII.

Deinde persecutus Apostolus, inquit Augustinus, tam magnum abditumq; secretum, quantum aperiendum esse hominibus iudicarat, aperuit, dicens: Si verò volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, quasi dicat: Documentum dedit utriusque, ira & misericordiæ: Tam potens quippe est bonitas eius, ut benè utatur etiam malis. Nec enim beneficium, quod quibusdam gratis tribuitur, appareret, nisi Deus aliis ex eadem massa pariter reis, iusto supplicio condemnatis, quid utrisque deberetur, ostenderet.

LXIII.

Hoc diuinæ potestatis in hominum electione iudicium (inquit alibi Augustinus) Apostolus robustissimis monstrat exemplis, cum de Rebecca partu adhuc intra uterum constituto, ad gratiam Dei omnia refert. In nondum natis, nondum operatis, nulla poterant esse momenta meritorum. Quod si eorum mores futuros discreuisse dicitur, diuinum iudicium

De prædest  
& Grat. c. 6

C

enacua-



evacuabitur, & illud omne, quod præmisit Apostolus, Non ex operibus: Sed ex vocante, quibus verbis tum præterita, tum futura merita excluduntur.

LXIV.

De prædest.  
Sanct cap. 3.  
Nota.

Timoth. i.

Non est volentis: quia nec velle possumus, nisi vocemur: nec sat est vocari, nisi secundum propositum vocemur. *Etsi enim verum est, misericordiam tribui credentibus: obdurari eos qui impij sunt: SEMPER TAMEN queritur: Vtrum meritum fidei misericordiam præveniat, & annon sit facta misericordia, ut fideles essemus. Misericordiam consecutus sum (inquit Apostolus) ut fidelis essem, non quia fidelis erat. Fideli datur misericordia: Sed & data erat prius, ut fidelis esset.*

LXV.

Iohan. 15.

Vocatio secundum propositum.

*Ad id ipsum confirmandum locum memorabilem profert ex cap. i. ad Ephesios: Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem. Item, Non vos me elegistis, inquit Christus, ne quis AVEAT DICERE, credere homines ut eligantur. Quis hæc legens, inquit Augustinus, audeat de tam clara, quam defendimus, veritate dubitare? ut ergo nemo de sua voluntate, sed de illius erga se voluntate gloriatur, operatur secundum propositum. Ex illo PROPOSITO est illa Electorum propria VOCATIO: non quod tales futuros præsciuerit, sed UT ESSENT.*

LXVI.

Exemplum Pharaonis.

*Alterum exemplum desumptum ex cap. 9. ad Romanos, est de Pharaone. Si dicitur iam (inquit) Pharaonem non potuisse mutari, quod eum Deus præsciret mutari non posse, respondetur Dei præscientiam non cogere hominem, ut talis sit: At cur flagellatus, qui non intus pulsatus fuit, & cuius cor Deus non aperuit? Et cur Nebucadnezar post innumeras impietates flagellatus*



19  
 gellatus pœnituit, & regnum quod perdiderat, accepit? Pharaonis flagellis durior factus est, & periiit? Hic mihi rationem reddat, qui Dei consilium, nimis altum sapienti corde diiudicat, cur medicamentum vnius Medici alij ad sanitatem, alij ad interitum corporis conferat. Quantum ad naturam, ambo homines erant: quantum ad dignitatem, ambo reges: quantum ad causam, ambo captiuum populum possidentes: quantum ad pœnam, ambo flagellis admoniti. QUID FINES EORVM fecit diuersos? Quicumque respondet, illi ut mutaretur, adfuisse: huic ut induraretur, diuinum defuisse presidium, rectè rerum omnium fines in Dei voluntate constituit, ut Apostolus: Cuius vult, miseretur, & quem vult indurat. Item, Sine me nihil potestis facere: Illa omnia Iohan 15. vel adiuuante Deo perficiuntur, vel deserente permittuntur, ita tamen ut sciamus NOLENTE DOMINO nihil prorsus admitti.

## LXVII.

Sensus quidem hominum de VOLUNTATE DEI nimis superbe disputantes magnitudo questionis obturbat: Sed respondet Apostolus: Potestatem habet figulus, ex eadem massa facere aliud vas in honorem: aliud in contumeliam: quod discrepans iudicium proponit in duobus illis gemellis nondum natis. Si dices: Quare id facit Deus? Rursus audis, quis tu es homo, qui Deo, lutum ut figulo, obloquaris?

Ibid de prædest. & Grat. cap. 15.

## LXVIII.

Si ipsum genus humanum (inquit ibidem Augustinus) quod creatum primitus constat ex nihilo, non cum debita mortis & peccati origine nasceretur: & tamen ex eis Creator omnipotens in æternum nonnullos damnare vellet interitum, quis Omnipotenti Creatori diceret: Quare fecisti sic? Nunc autem cum damnatis pœna iusta reddatur: saluatis gratia donetur indebita: quis vsque adeo humana conditionis oblitus, diuini sensus arcana discutiatur?

C 2 Itero



20

LXIX.

*Item hanc diuinam electionem non meritis reddi, sed SOLA VOLUNTATIS munificentia donari hominibus, Moses dudum vidit, docens patres electos ex mera gratia. Deut. 10.*

LXX.

Conclusio  
Augustini.  
ibid.  
Nota.

*Cum ergo de talibus queritur, admiremur, & manente hac sententia, quod non sit iniquitas apud Deum, etiam si id quod queritur, modum nostri sensus excesserit, & intellectus nostri non penetrat angustias: Illam inconcussam equitatem diuinae iustitiae & misericordiae agnoscamus & fateamur: ne de superioribus diuinae voluntatis arcanis aliter quam modus nostrae conditionis patitur, disputantes, Dei iustitiam relinquamus, & nostram statuere cupientes in inam contumaciae voraginem decidamus.*

LXXI.

*Hec immota fundamenta constanter & cordate Pelagianis opposuit Beatus Augustinus, cui illi occasionem, ut supra thesi quarta dictum est, dederunt totam rationem gratuite iustificationis diligentius indagandi & melius intelligendi; Et tamen in suis illis contra Pelagianos scriptis, non solum ad Scripturas, sed & ad primum Orthodoxorum patrum consensum; Irenaei, Cypriani, Ambrosij, Hieronymi, & aliorum prouocat, eorumque testimonia producit.*

LXXII.

De occultis  
Pelagianis.

*Præter autem apertos illos Pelagianos non defuerunt quidam inter ipsos Catholicos, qui illam doctrinam non satis assequi poterant, & mediam aliquam viam insistere volebant, ut ex Prosperi ad Augustinum epistola de reliquiis Pelagianorum colligere promptum est.*

LXXIII.

*Imò & Augustinus ipse lib. de Perseuerentia Sanctorum cap. 10. scribit, Catholicum quendam disputatorem non ignobilem, locum Matthæi illum de Tyriis & Sidoniis: Si in Tyro.*



27  
Tyro & Sidone editæ fuissent virtutes, quæ editæ sunt apud vos, &c. sic exposuisse, ut diceret præsciuisse Dominum Tyrios à fide fuisse postea recessuros, postquam factis apud se miraculis credidissent. At quid potuit præscire, inquit Augustinus, de eo, quod nec esse debuit, nec voluit: noluit enim eis subuenire. Si quis quærat, cur eis non præstiterit, ut crederent, quid respondebitur, nisi ut supra: Cuius vult miseretur?

LXXIV.

Prosper autem faciens mentionem reliquiarum Pelagianorum, & quorundam seruorum Christi in Massiliensi Ecclesia, qui ex illis erroribus non prorsus se expedire poterant, ait eos quidem cum Augustino sensisse omnes in Adam peccasse, & neminem per opera, sed per Dei gratiam seruari. VNIVERSIS tamen hominibus in Baptismo propitiationem proponi, qui ad Fidem & Baptismum accedere voluerint:

LXXV.

Eos autem qui credituri sint, præsciuisse ante Mundi constitutionem, eosdemque prædestinasse in Regnum, quos gratis vocatos dignos futuros Electione præviderit.

LXXVI.

Verum PROPOSITUM illud vocationis Dei, quo vel ante Mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani eligendorum sit facta discretio, secundum quod placuit Creatori, ut alia essent vasa honoris, alia contumeliæ, durius & alienius eis videbatur; quod lapsis curam surgendi adimeret, Sanctis occasionem teporis adferret.

LXXVII.

Novam eis visam interpretationem loci ex ca. 9. ad Romanos, de gratia præueniente omne meritum: & propositum gratiæ eos sic accepisse, quod nullum constituisset recipere in suum Regnum, nisi per Sacramentum Regenerationis: Bonitatem Dei in eo apparere, si neminem repellat, & indifferenter universos velit saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Nec considerabant, (inquit Prosper) pertinaces illi, se gra-

Veterum & recentiorum Semipelagianorum obiectiones contra doctrinam de Dei proposito.



se gratiam Dei, quam comitem, non præuiam vole-  
bant humanorum meritorum, subdere humanis vo-  
luntatibus.

LXXVIII.

*Nota.* Inter reliquias Pelagiani dogmatis recenset & illud Pro-  
sper, quod sentirent illi fratres ab Augustino dissentientes, pro  
uniuerso humano genere mortuum esse Dominum, ita ut  
nemo ab illa redemptione exceptus esset, eaq; ad omnes per-  
tineret.

LXXIX.

*Nota.* Refugisse & illud dicere: Prædestinatorum certum  
numerus esse, qui nec minui, nec augeri possit, ne  
locum non habeant admonitiones. Sed hoc quid aliud  
est (inquit Prosper) quam initium salutis facere ab eo, qui ser-  
uatur, non qui seruat? IN ISTIS, inquit idem, Pelagiana  
prauitatis reliquiis non mediocris virulentia fibra nutritur,  
si principium salutis in homine collocatur.

LXXX.

Talem fuisse eorum sententiam, non dissimulat & Hilarius  
Arelatensis in epistola, quæ epistolæ Prosperi adiuncta est, To-  
mo septimo operum Augustini: Præscientiam nimirum &  
prædestinationem Dei valere erga eos, qui credituri erant: Au-  
gustini verò sententiam videri ad desperationem homines  
adducere.

LXXXI.

*Occasio tra-*  
*status Augu-*  
*stini de præ-*  
*destinat. &*  
*perseueran-*  
*tia Sancto-*  
*rum.* Etsi verò ad tales iam obiectiones responderat Augustinus  
in libro de Corrept & Grat. (ut Prosper in sua epistola agno-  
scit) rursus tamen peculiari tractatu, nempe de Prædestinatio-  
ne Sanctorum, & de eorundem perseuerantia, ab illis partim  
erroribus, partim calumniis doctrinam prædestinationis vin-  
dicauit.

LXXXII.

Et capite quidem secundo ostendit illud esse πελαγισ-  
τικόν, si initium ipsum Fidei non esse à Deo agnoscamus, à quo  
est



23  
est omnis sufficientia nostra: & hoc esse priores partes homini  
dare, posteriores Deo, si ob prauisam, aut praeiitam fidem eli-  
gat & seruet.

LXXXIII.

Quod non omnes doceantur, ut veniant ad Christum: esse  
occulti iudicii. D. Paulum non ideo retractare quae dixerat,  
propter hominum querimonias & obiectiones: Sed potius hac  
eos obiurgatione coercere: O homo, tu quis es, qui respon-  
deas Deo?

LXXXIV.

Præsciuisse quidem Deum, quinam credituri essent, ut di-  
citur Ioh. 6. Sed rursus, neminem posse venire ad Filium, nisi Ioh. 6. v. 64.  
ei detur à Patre. Agere Deum quod vult in cordibus homi- Cap. 20.  
num, vel adiuuando, vel iudicando, ut etiam impleatur per Aet. 1.  
eos, quod manus eius, & consilium fore prædestinarat.

LXXXV.

Ita, & in libro de Perseuerantia Sanctorum, ostendit hanc  
doctrinam non reddere segnes ad bona opera, cum Electis de-  
tur Spiritus Sanctus, & sint à Deo preparata bona opera, in Ephes. 2.  
quibus ambulent. & cap. 22. Non sic loqui solemus. Definita  
est sententia prædestinatorum: Ergo non debemus agere pæ-  
nitentiam: imo hortandi sunt omnes ut ex bono cursu discant  
se prædestinatos.

LXXXVI.

Non itaq; (inquit) simus ingrati erga Deum, qui tam mul- De perseue-  
tos liberat secundum placitum voluntatis suae de tam debita rant. Sancti  
perditione: ut si inde neminem liberaret, non tamen esset in- cap. 12.  
iustus. Quare hos potius quàm illos liberet, nunquam pige-  
bit nos cum Apostolo respondere (inquit rursus Augustinus)  
O homo tu quis es, qui disceptes cum Deo?

LXXXVII.

Atqui aiunt nonnulli, (ut idem August. scribit lib. de Cor-  
rept. & Grat. cap. 5.) Cum voluntas à Domino preparatur, cur  
corripimur, & non potius Deus rogatur, ut in me operetur  
bonum?



2. Tim 2.

*bonum? Respondet Augustinus: Vult Deus corripere omnes male agentes, si quando det eis poenitentiam, cum nobis non sint in specie noti Reprobi: & recte ipsi reprobi corripiuntur: quia*

Eccles 7.

*Deus fecit hominem rectum, & ipsa prauitas est ab homine, non a Deo.*

## LXXXVIII.

De Corrupt.  
& Grat. c. 9.

*Est Deus omnino efficax in filiis suis: eisq; dat perseuerantiam, iis qui predestinati sunt, & SECUNDVM PROPOSITVM vocati: De quibus Dei filiis Iohan. 11. ubi dicitur, moriturus Christus, ut filios Dei dispersos colligeret in vnum: qui iam antequam crederent, erant in memoriali Patris conscripti: illi inconcussa STABILITATE manebunt: & liberati a peccato, serui facti sunt Iustitie, in qua stabunt usque in finem, ut loquitur idem.*

Cap. 12.

## LXXXIX.

*Ceterum licet tam clare, tam solide ex Scripturis suam sententiam explicauerit ille autor, idem tamen Augustino accidit, quod hodie nobis, & aliis Orthodoxis accidit, ut que dextra porriguntur, sinistra manu accipiantur: & ut monet ipse in prefatione articulorum sibi falso impositorum: Multi sunt, qui quouis modo piorum existimationem laedere conantur, nec vident, dum id faciunt, se suam euertere: & agnosci tandem a prudentibus viris ineptissimorum hominum prodigiosa mendacia.*

## XC.

Calumnie  
veteres &  
noue.

*Articuli vero Augustino falso impositi, & tomo septimo operum eius inserti, idem plane sunt, qui a nouis Pelagianis & hominibus ad maledicendum proiectis, hodie nobis obiciuntur.*

## XCI.

*Primus erat: Quod Dominus noster Iesus Christus non pro omnium hominum redemptione sit passus. Atqui respondet recte Augustinus: Quod ad magnitudinem & potentiam precij, sanguis Christi est redemptio mundi. Sed*



25  
Sed qui hoc seculum sine fide Christi, & sine regeneratione pertranseunt: redemptionis alieni sunt. Redemptionis quippe PROPRIETAS, inquit, haud dubiè penes illos est, de quibus princeps huius mundi missus est foras, & non vasa Diaboli, sed membra sunt Christi.

XCII.

Altera calumnia erat, quod Deus nollet omnes servari, etiamsi omnes servari vellent. At quomodo dici potest (inquit Augustinus) eum non saluare, qui saluari velint, cum etiam eos servet, de quibus dici non potest, quod servari voluerint. Cum enim adhuc inimici essemus, salutem nostram procuravit.

XCIII.

Tertia calumnia contra Augustinum, & contra eos, qui adhuc hodie doctrinam eius contra Pelagianos amplectuntur, hæc est: QVOD MAIOR PARS generis humani ad hoc sit à Deo creata, ut illam perderet in æternum. Respondet Augustinus, non esse illum proprium finem creationis, ut homines perdat: Et aliam esse causam nascendi aliam pereundi: ita ut alij sint fines creationis ac natiuitatis nostræ: alij reprobationis: licet finis communis sit Dei gloria.

XCIV.

Articulus quartus erat: Quod maior pars generis humani à Deo creetur, ut non Dei, sed Diaboli faciat voluntatem. Imò Deo nunquam deest, (inquit Augustinus) unde faciat suam voluntatem atque etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est, quod Creator noluit, implet ipse quod voluit, benè utens & malis, ut loquitur cap. 5. Enchiridij. Et infanum est, inquit idem in responsione ad illum quartum articulum, ac contra rationem, dicere VOLUNTATEM Dei fieri, non ex VOLUNTATE Dei.

XCV.

Calumnia quinta vetus & nova: Quod peccatorum nostrorum autorem videamur facere Deum. Hæc calumnia  
D (inquit



(inquit Augustinus) procedit ex illa schola, quæ naturam Adami à vitio vult esse immunem, nempe à Pelagiana, & inter opus Dei & opus Diaboli in homine non distinguit.

## XCVI.

Ioh. 12.

Articulus sexus obiectus Augustino, pertinens etiam ad hæc tempora: Quod hæc sit Dei voluntas, ut magna pars Christianorum seruari non possit. Id verum de iis, qui non credunt in Filium, nec conuertuntur, ut sanentur.

## XCVII.

Calumnia septima: Quod adulteria & alia contingant, quod Deus homines ad talia prædestinauerit. Respondet Augustinus, detestandam & abominandam esse opinionem, quæ Deum male voluntatis, aut actionis faciat autorem: Cum omnes via Domini sint Misericordia & Veritas. Peccata Deus nec facit, nec iubet, nec iis delectatur. Sed determinat, ulciscitur & sue gloriæ seruire facit. Et creauit hominem Deus libero arbitrio præditum, ita ut sponte, non coactus peccarit.

## XCVIII.

Initio lib. 6.  
Hypognost.

Hi sunt inter alios articuli B. Augustino obiecti, & præcipue calumnie, quas non mirum est, inquit, à prauis hominibus cõfingi, qui sic fascinati sunt, ut ne scripturis quidem parcant sed eas miserè dilacerare & ad suum sensum detorquere conentur.

## XCIX.

Hactenus ex ipsis pie antiquitatis monumentis eruimus, & demonstrauimus, quis fuerit Pelagianorum error. & quibus rationibus, & testimoniis refutati fuerint, ut ex illa recitatione agnoscant lectores, doctrinam Pauli & B. Augustini, quam Prosper, Fulgentius, Gregorius primus, Bernhardus, & alij maximi fecerunt, & pro Catholica habuerunt, licet paulatim à superstitiosis monachis deprauari cœpit; sub inuidioso nomine CALVINISTARVM à maleuolis traduci, qui potius, quàm ut veritati cedant, vel tortuosis interpretationibus & contradictionibus omnia implicant, vel palàm Pelagianizant, ut infra suo loco videbitur.

Et



## C.

Etsi verò inter ipsos Monachos nonnulli purius hac de re scripserunt, veluti Thomas Aquinas, & qui eum secuti sunt: Certum est tamen, si articulum Iustificationis spectes, ipsa semina & fundamentum Pelagianismi in Papatu retineri & defendi, quomocunque se de eo excusent.

Nervus Pelagianismi retinetur in Papatu.

## CI.

Nam quod nec planè ita loquuntur, ut Pelagius; nec omnes eius errores amplectuntur, sed Dei gratiam requiri, eamque nos praevenire aiunt, nondum eos à Pelagianismo liberat: Praesertim cum & Pelagius in Synodo Palestina idem ore professus sit, quod hodie Pontificij, nimirum se anathema habere eos, qui sine gratia Christi hominem servari putarent. Item, liberum arbitrium à Domino adiuvari, & similia.

Sixt. lib. 5. Biblioth.

Vide theses Moguntinas ann. 87. de Cohærentia liberi arbitrij cum prædesti. i. part. thes. 34.

## CII.

Verum quemadmodum Pontificij vocabulo Gratia ludunt, & per eam certos habitus infusos intelligere solent: Sic illi per Gratiam facultatem naturalem inditam homini, per adiutorium vero doctrinam Legis & Evangelij intelligebant.

## CIII.

Vix interim aliquid est in quo plus hodie laborent Pontificij, & inter sese magis discordent, quàm in conciliatione liberi arbitrij, & prædestinationis æternæ gratuitaque iustificationis. Aliter enim Thomas Caietanus: aliter Ambrosius Catharinus, aliter Albertus Pighius, totus ferè Pelagianus aliter Dominicus à Soto, ut apud ipsum Bellarminum, in explicatione controuersie tertiæ, quæ est de reparatione gratiæ, videre est, ) scripsit & docuit.

Pontificiorum de libero arbitrio & Prædestin. discordes sententiæ.

Pontifices Pelagianizant.

## CIV.

Pelagiana autem hæc sunt, quæ Iesuitæ adhuc defendunt: Liberum arbitrium, antequam per gratiam sanatum sit, in actionibus piis & salutaribus non se habere merè passivè: sed adiuvari cooperante Domino: Ideo mandari nobis, ut munde- mur, & conuertamur: quæ cum Pelagiani Augustino opponerent, respondit, mandari, ut agnoscamus quid amiserimus, &

In Mogunt. thesibus de cohærentia liberi arbitrij & prædestinationis. ann. 87.

D 2 quid à



28  
quid à Deo petere debeamus: non quid præstare possimus.

CV.

Et quod fingunt, se concedere nos Dei gratia in omnibus præueniri, postea euertunt, cum scribunt preparationes quasdam in nobis esse, quæ iustificationem præcedant.

CVI.

At quæ preparatio in nobis esse potest, cum, ut toties inculcat Augustinus, trahi nos oporteat à Patre, non quidem violento motu, ut inuiti seruemur, sed ut ex nolentibus volentes fiamus, Et quænam preparatio erat in Nebuchadnezar, in Saulo, qui & Paulus, & aliis? Dic mihi, inquit Augustinus lib. 1. contra duas epist. Pelagian. cap. 15. Quid boni Paulus, adhuc Saulus, volebat, ac non potius magna mala? Et lib. de Gratia & libero arbitrio, cap. 5. Vt Paulus de Cælo vocaretur, & tam magna efficacissimæque vocatione conuerteretur, GRATIA DEI erat SOLA. Et lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. rabi-  
dam fuisse Sauli voluntatē, donec refractaria mens retorqueretur, & cogeretur ad fidem.

CVII.

Habent & hoc commune Pontificij cum Pelagianis, quod OMNIBVS promiscuè aditum ad salutem patere volunt Deumque paratum omnibus largiri gratiam, & voluntatem nostram gratia cooperari: contra Scripturam, quæ Deo utrumque tribuit, quod misereatur cuius vult; quem verò vult induret: Sicut & ipsi, fateri coguntur, Deum voluntate efficaci, siue antecedente non velle ut omnes seruentur: nam aliàs nullus damnaretur, sed consequente siue conditionata.

CVIII.

Quis autem non videt illam voluntatem conditionalem restringi ad Credentes Euangelio, id est, ad Electos: nisi apertè cum Pelagio dicamus, in nostro arbitrio esse Fidem siue illam viribus liberi arbitrij obtineri?

CIX.

Et certè Bellarminus ipse in præfatione tertiæ controuersia, veterem Pelagianorum querelam repetit, obiiciens Orthodoxis id.



29  
xis id quod Augustino ipsi obiiciebatur, nimirum indicati bellum  
nature, si quis gratiam Dei contra miseriam & infirmitatem  
hominis defendat.

CX.

Interim impudenter audet pronunciare, Calvinum ab  
Augustino in hoc ipso dogmate ut hereticum notari: quod li-  
bro de gratia & libero arbitrio pro Catholicis non habeat eos  
qui negant liberum arbitrium.

CXI.

At qua fuerit perpetua de his rebus sententia Augustini  
contra Pelagianos, copiose supra demonstratum est, & ludit  
ille in re seria ignoratione Elenchi, Ibi enim disputat Augu-  
stinus, contra eos, qui sic gratiam defendebant, ut omne tol-  
lerent arbitrium in homine, & hominem de peccato  
excusarent, quasi ex propria voluntate non peccauerit, & in Vide cap. I.  
Deum omnis culpa referenda sit.

CXII.

Sed relictis Pontificiis, ad alia pergimus, ne modum exce-  
dant theses. Emerferunt autem nostro tempore, & eodem ferè  
tempore duo Stentores, plenis buccis & palam ipsum non tam  
Pelagianismum, quàm Epicureismum resuscitantes: quorum Puccius &  
alter Franc. Puccius, Italus, homo vagus, & fortè non satis Huberus.  
mentis compos, communi statim consensu, scriptis nimirum  
tribus diuersis, refutatus fuit: alter in odium tantum Caluini-  
starum, etiam postquam suum manifestum Pelagianismum  
in suas theses effudisset, tamdiu fatus & defensus ab Vbiqui-  
tariis fuit, donec homo ad turbendam Ecclesiam natus, fron-  
tisque perfrixta tanquam bos petulcus suis cornibus collegas  
ferire, & sua placita normam Fidei esse voluit.

CXIII.

Constat autem ex ipsorum Vbiquitariorum scriptis contra  
Puccium, eum non dissimile dogma tradidisse ei quod Hube- Vide L. O-  
rus ipsis etiam patrocinantibus impune apud ipsos defendit. fiandr. con-  
Ita enim Puccius suum dogma excusat, quod æquitati huma- tra Pucc.  
næ & diuinæ consentaneum videatur, ne scilicet Deus alicu-  
ius in



Osiander  
contra Pucc.  
p. 9.

ius iniustitia accusari possit: Quod Dei philanthropiam erga totum genus humanum commendat: cum Deus Mundum dilexerit. Item Christum destinatum Seruatorem omnium & singulorum hominum: Item, (quod Ubiquitarij pro statu controuersie Puccianæ ponunt: ) Euangelium docere gratia vniuersali per Christum omnes seruatos.

## CXIV.

Osiander  
contra Pucc.  
p. 14, 15 & 21.

Hæc principia, licet longius postea excurrat Puccius, quis non videt, ei cum I. Andrea, Hubero & similibus esse communia: quæ etiam Ubiquitarij confutare non possunt, nisi recurrant ad nostras, id est Ecclesie Orthodoxæ distinctiones: Meritum Christi scilicet, sua sufficientia efficax esse ad omnes seruandos: Non solum Dei bonitatem, sed & eius seueritatem recognoscendam. Alia esse vasa misericordie: alia ignominie & matulas Sathane. Dei decretum de solis Credentibus seruandis non esse flagellandum: Hæc enim sunt Osiandri verba.

## CXV.

In Explicat.  
controuer.  
sæ inter  
Hunnium &  
Huberum.

In der  
Gründel.  
chen bewei.  
sung.

Vide epist.  
VVirteberg.  
Teolog. 8.  
Decemb. an.  
93. ad Hube.  
rum datam.

Ad easdem distinctiones & explicationes confugere soguntur, ut Huberum tandem (molli licet brachio) coërceant. Nam cum scribere & asserere non dubitauerit, Deum misisse Filium suum toti Mundo propitiatorem, etiam pro Reprobis & pereuntibus; Regenerari omnes baptizatos, etiam hypocritas: Item, Omnes electos ad vitam æternam. Item de Iustificatione, ut habet Huberus thesi Tubingensi 270. Hic, inquit, est status redemptionis nostræ, qua omnibus ex æquo condonata sunt peccata: quibus verbis Iustificationem facit omnibus ex æquo communem. Item Deum non minùs Reprobos, quàm alios diligere: Pro multis damnatis Christum mortuum, eos sanctificasse, ac templa Spiritus Sancti fecisse, &c.

## CXVI.

Ad ea, inquam, Ubiquitarij respondere non possunt, nisi nostris & Ecclesie Orthodoxæ verbis Baptizatos induere Christum, qui sincero & fideli corde Christum suscipiunt. Vm Baptismi



34  
prisini & regenerationis ad ipsum elementum, & ad momen-  
tum Baptismi non alligari. Item, omnibus quidem offerri me-  
ritum Christi, & pro iustificandis omnibus sufficere: Oblatio-  
nem ergo gratiae uniuersalem esse: actu ad solos fideles restrin-  
gi, qui Christi per fidem apprehensi beneficio, damnationi exi-  
mantur. Electionem Dei non esse uniuersalem, sed eorum de-  
mum qui praedestinati sunt, ad vitam eternam: Super hanc  
Dei praedestinationem salutem nostram ita fundatam, ut in-  
ferorum portae eam euertere nequeant. Vnde Christus: Multi  
vocati, pauci electi.

#### CXVII.

Et haec quidem causa fuit, cur thesibus Hunnij de praedesti-  
natione, anno superiore disputatis, nihil à nobis sit responsum:  
quod videremus illos homines cum magno Ecclesiae scandalo  
seipsos satis vltrisci mutuis discordiis: Et Hunnium nostras  
antitheses oppositas articulis visitationis Misnica arrodere  
quidem, & petulantissimis maledictis incessere voluisse, vix  
autem in eis habuisse quod crimnaretur, sed ex aliis autoribus  
mutilata dicta, quae exagitaret, excerpisse.

Cur anno  
superiori  
Hunnio de  
Praedestinat.  
nihil sit re-  
sponsum.

#### CXVIII.

Verum cum in postremis thesibus hoc anno Francofurti  
recusis, magna cum iracundia Heidelbergenses Theologos in  
titulo & praefatione incessere voluerit, agerrimèque ferat vl-  
cus illud de Pelagianismo in ipsorum gremio renato à nostris  
tangi: voluimus in gratiam omnium veritatis amantium,  
veram historiam de Pelagianismo ex Patribus modeste & bo-  
na fide repetere, ut omnes videant per nostrum latus confodi  
D. Pauli, & Augustini doctrinam, veteraque Ecclesia funda-  
menta contra Pelagianos, ab illis hominibus quantum in ipsis  
est labefactari: Sicut etiam in Hunnij thesibus haec tria liqui-  
dò demonstrabimus. 1. Contradictiones, & non immerito  
obiici ei ab Hubero Calvinismo, id est Catholicum & Ortho-  
doxum dogma, in iis hypothesebus, quibus Huberum oppu-  
gnat. 2. Calumnias euidentes cum Pelagianis veteribus ei com-  
munes.

Cur nunc  
liquidò  
Hunnio re-  
spondeatur

In der Ge-  
genber-  
ung.

Summa the-  
sium D.  
Hunnij.



*munes. 3. Errores contra veritatem Catholicam, quoties relictus Hubero in Calvinistas insurgit.*

## CXIX.

Contradi-  
ctiones Hū-  
nij.

In explica-  
tione con-  
trouersie in-  
ter Hunniū  
& Huberum  
in principio.  
Thes. 123 di-  
sputationis  
postrema  
de Prædesti-  
nat.

Et Mylius  
thes. 92 &  
98 de Præ-  
destinat. v-  
trunq; posse  
dici Ortho-  
xæ: Electio-  
nem saluan-  
do: um esse  
vniuersalem  
& particula-  
rem.

Vide hypo-  
thesin pri-  
mam dispu-  
tat de Præ-  
destinat.  
ann. 93.

Hunn. in di-  
sputat ann.  
93 thes. 239.  
& thes. 15.

*Prima contradictio hæc est, quod Hunnius dogma Huberi, Omnes vniuocè & propriè electos ad vitam æternam, Phrasin incommodam & ἀκυρολογίαν molliter, aut trepidè vocat: imò alibi concedit posse excusari illam propositionem: & tamen in tota illa disputatione contra Huberum, pronunciat Huberi dogma esse periculosissimum, quod certitudinem salutis tollat, cum multis manifestis locis Scripturæ; item cum Lutheri doctrina & libro concordie pugnet, & omnes sceleratos, ut Neronem, Heliogabalum, & alios in societatem Electionis æternæ admittat.*

## CXX.

*Altera contradictio, in qua satis ostendit se Huberi errori de VNIVERSALITATE occurrere non posse, nisi (ut ei obiicit Huberus) Calvinizet, id est, Orthodoxorum distinctionibus & explicationibus utatur, in eo manifestè conspicitur, quod contra nos scribens Hunnius, VNIVERSALES illas particulas perpetuò urget: Deum videlicet velle, & quidem seriò OMNES SERVARE & NULLIVS velle mortem: Postea contra Huberum illas ipsas vniuersales restringit sicut nos facimus ad credentes, quos ut seriò seruari vult Deus, ita non minùs seriò vult impænitentes & incredulos perire, & per consequens magnam Mundi partem quæ iusto & certo Dei iudicio perit. Sic nominatim fatetur Hunnius VOLVISE Deum occidere filios Heli, ut 1. Sam. 2. legitur.*

## CXXI.

Iohann. 3.

*Similis contradictio est, quod postquam diu multumque dictum illud Christi, Deus dilexit mundum, ad probandam vniuersalem illam dilectionem hominum ad vitam æternam vrsit: nunc contra Huberum, nobiscum, & cum Ambrosio lib. de vocat. Gent. ca. 3. sic explicat Hunnius, quod Electioni suæ quadam VNIVERSALITAS constet: non verò talis*



talibus quae se porrigat ad infideles, sed iuxta dictum Christi Joh. 3. Vt omnis qui credit, habeat vitam aeternam: Item, Omnis qui credit in eum, non pudebit. Et thes. 90. dissertationis postremae scribit Hunnius, illud OMNES includere hypothesein, ut credamus & perseueremus.

Vide thes. Hunnij. 94. postrema disput. Roman. 10.

CXXII.

Has propositiones, inquit Hunnius, qui negat esse verè universales, is ad rudimenta Dialectices ablegandus fuerit, licet non omnes promiscuè homines, sed tantum Credentes completantur: Fides autem, cum, teste Apostolo, sit Electorum, & sit Dei donum, sequitur contra Hunnium illas universales ad Electos, quibus solis datur saluifica fides, esse restringendas.

Tit. I.

CXXIII.

Ad illam contradictionum classem referri & illud potest: quod iam cum Hubero Christum vult Hunnius mortuum pro ipsis reprobis: meritum Christi non esse eo sensu Catholicum quo Ecclesia Catholica dicitur: sed pertinere illud meritum etiam ad eos qui sunt extra Ecclesiam: Iam nobiscum, & cum Ecclesia Orthodoxa contra Huberum, locum illum de expiatione peccatorum Mundi ad sufficientiam restringit, quod sua passione tam perfectam iustitiam & satisfactionem omnibus hominibus acquisierit, ut SI TOTVS Mundus crederet, verè seruaretur. sic & thes. 42. postremae disputat. scribit nihil prodesse satisfactionem Christi sine fide.

Thes. 60 & 74. dissertationis an. 93.

CXXIV.

Et certè nisi ita distinguatur & explicetur illud B. Iohannis dictum, haec conclusio Epicurea & impia sequeretur: Quorum peccata sanguine Christi expiata sunt, illa remissa sunt, & deleta, & per consequens, illi iustificabuntur, heredesq. erunt vitae aeternae: At omnium hominum sine discrimine, siue totius Mundi peccata sunt expiata: Ergo totus Mundus iustificabitur & seruabitur.

CXXV.

Quare retinenda est illa quoque distinctio, quam ex Philo-  
E lip po



Thef. 76. di-  
sput. ann. 93.

Hunn. in ex-  
plicatione  
tertia con-  
trouersia cū  
Hubero de  
Regenerat.  
p. 48  
Par. 39.

lippo Melanthe: & aliis nostris Orthodoxis autoribus di-  
dicit Hunnius, & nonnunquam contra Huberum usurpat,  
meritum quidem Filij Dei, siue gratiam omnibus offerri, cō-  
ferri autem iis, quos nouit Deus suos esse: quos idoneos & capa-  
ces huius gratiæ reddit, id est, qui credunt. Sic in Baptismo ba-  
ptizatis omnibus offerri, non conferri regenerationem.

## CXXVI.

Quarta contradictio Hunnij est, quod in explicatione sua  
sententiæ contra Huberum scribit, Huberum illa sua VNI-  
VERSALITATE omnem salutis certitudinem euertere, utpote  
qui reprobos & damnatos cum fidelibus & Electis misceat.  
Atqui Iacobus Andrea à quo Hunnius omnia sua hausit, cōtrā  
arguebat, nisi vniuersitatem illam statuamus, neminem de sua  
salute posse esse certum, quod ex particularibus nihil sequatur:  
particulares autem vocabat, quando dicimus, Electos, vel Cre-  
dentes seruari, siue omne quod Pater dedit Filio, & ad ipsum  
venit, habere vitam æternam.

## CXXVII.

Thef. 110.  
postrema  
disputat.

Thef. 107.  
Thef. 112.

Deinde non minùs certitudinem salutis euerit Hunnius,  
quàm Huberus, dum passim asserit multos in Baptismo regene-  
ratos fieri reprobos & damnari: Item Electos & Credentes  
posse fieri reprobos: Ex quibus hypothesis omnino sequitur,  
nullum ex sua Electione, regeneratione, & fide, posse certò sta-  
tuere se fore heredem vitæ æternæ: quanquam & hic quoque  
rursus sibi contradicit Hunnius: Aliquando etiam contra Hu-  
berum asserit Electos non posse separari à dilectione Dei:  
alibi contra nos asserit nonnullos Electos, & renatos excidere  
finaliter.

## CXXVIII.

Quinta contradictio Hunnij: Fatetur peccata fieri Deo non  
quidem inuito, aut simpliciter nolente: Et interim blasphemiam  
vocat, si quis dicat, non sine Dei voluntate Adamum  
cum posteris in hanc cecidisse miseriam. Nam si ne passerculus  
quidem sine Dei voluntate cadit, quomodo eo simpliciter no-  
lente



35  
lente cecidisset homo? quem diuina dispositione cecidisse, scribere non dubitauit Augustinus, nec Lutherus ipse, ut saepe istis hominibus monstratum fuit. Et Hunnius alibi nobiscum rectius distinguit, illa non fieri voluntate approbante: sicut nec vult mortem peccatoris, id est, non delectatur, ut Lutherus locum illum Ezech. 18. recte est interpretatus. Verba Hunnij sunt. Etenim voluntate Deus aliqua vult, quæ tamen in actum non traducuntur: Vult conuerti totum Mundum, nec tamen totus Mundus conuertitur.

CXXIX.

Sexta contradictio, cum graui blasphemia in Deum & verbum eius coniuncta, hæc est: quod Hunnius scribit horrendam esse Caluini blasphemiam, Dominum aeterno & immutabili consilio semel constituisse, quos assumeret in salutem. Atqui illis verbis primum contumelia afficit Dei verbum, & eius æternam prouidentiam. Quid enim certius, quam Deo nihil esse fortuitum? quam eius consilium stare, & ἀμεταμέλητα esse eius dona? quam illum ut de aliis rebus in genere humano, ita de sua Ecclesia certi aliquid constituisse? quam illum habere suos Electos, eos certo consilio, & secundum propositum, & liberrimam voluntatem ac εὐδοκίαν electos, sine ulla Fidei, vel operum praeventione, ut supra Augustinus ex Dei verbo contra Pelagianos euicit?

CXXX.

Sed quorsum homo ille horrendam blasphemiam vocat, quod contra Huberum agnoscit, & illi saepe regerit? Predestinationem voluntate DECRETI definiendam: eam euacuari, aut euentu contrario interuerti non posse, & ad eos solos referendam, qui salutem consequi possunt: iuxta illud: Quod quærit Israël, non est affecutus: Electio autem affecuta est &c. quod si decretum fecit Deus de nonnullis eligendis: quis non videt eodem decreto, non autem fortuito alios fuisse preteritos, nempe reprobos, contra alteram hypothesein Hunnij, disputationis anno superiore editæ, ubi decretum de reprobis negat?

In postrema  
disputat. th.  
15 & 16.

Thes. 8 di-  
sputat de  
prædest. añ.  
93.

Thes. 17. po-  
stremæ di-  
sputat.  
Item thesi  
195. disputa-  
tionis anni  
superioris,  
ait se immu-  
tabile Dei  
decretum  
non negare.



CXXXI.

Thef. 43 &  
50. disputat.  
ann. 93.

Et quanta ignorantia, aut malitia est, negare Deum ordinaſſe reprobos ad pœnas, aut eas exequi, & interim Deum contra eos tuliffe ſententiam mortis: quaſi ferat ſententiam contra ſuam vel voluntatem, vel ordinationem, aut Deus excuſetur, quod planè nolit excecationem, mortem & pœnas impiorum, etiamſi ferat ſententiam, & ſpiculatori, (ut Hunnius loquitur) id eſt Diabolo executionem committat?

CXXXII.

Thef. 29.  
Thef. 69.

Thef. VVi.  
reb. 56.  
Thef Mar  
purg 85 Et  
VViteb. 110.  
& 159.

Septima contradicſtio: quod declinans Hunnius Pelagianismi notam, ſcribit, Deum nihil intueri, aut reperire in nobis, quod eligat, adeò ut ne fides quidem ingrediatur hoc Electio- nis arcanum, ſed fidem eſſe perpetuam notam Electorum: & tamen paſſim tueri conatur hanc propoſitionem, quæ ordinem à priori, non à poſteriore determinat: Nos ob Fidem præuiſam Electos: Item, Deum potiùs ad ſalutem deſtinare Credentes, quàm prædeſtinare credituros: Item, Electionis particularitatem non à Deo pendere, ſed ab hominibus: Et Act. 13. credidiſſe ordinatos ad vitam æternam, id eſt, qui ſeſe ordinarant & diſpoſuerant ad audien- dum Dei verbum & illud fide amplectendum. Et hæc quidem de præcipuis aliquot contradicſtionibus Hunnij.

CXXXIII.

De calūniis  
Hunnij.

Ad CALVMNIAS quod attinet, intelligent facile om- nes lectores, qui non planè iniqui fuerint, veteres tantum calu- mnias contra nos repeti, quas Pelagiani olim, & Patrum no- ſtrorum memoria Ambroſius Catharinus Pontificius, ſed do- ctiorum Pontificiorum iudicio, planè Pelagianizans, contra B. Auguſtinum excogitarunt, & uſurparunt, quemadmodum veteres illas calumnias ſupra ex articulis falſò ipſi impoſitis, ut extant tomo 7. operum Auguſtini, recenſuimus.

CXXXIV.

Sub nomine  
Caluini &  
Beza Scri-  
ptura phra-  
ſes traducū-  
tur.

Sub nomine igitur Caluini, aut Beza doctrinam D. Pauli & B. Auguſtini traducunt aduerſarij: quandoquidem nulla in noſtrorum ſcriptis phraſes, quas tanquam horrendas blaſphē- mias





37

*mias reprehendunt extant, quarum equipollentes & planè si-  
 miles in Scripturis non reperiantur. Scriptura enim ad signifi-  
 canda iustissima Dei iudicia, & nihil Deo fortuitum esse, sed  
 eius providentia omnia ordinari, regi, & disponi, effectivis  
 phrasibus multò sapius, quàm permissivis uti solet, quales sunt  
 hæc: Induravit Iehoua cor Pharaonis: quod quater in Exo- Exod. 9. & 10.  
Deuter. 29.  
 do repetitur. Item, Percutiet te Iehoua amentia, & cæci-  
 tate ac stupore mentis: ut palpes in meridie, sicut pal-  
 pare solet cæcus in tenebris, & non prosperas habeas  
 vias tuas. Item, Spiritus malus à Iehoua exagitabat 1. Samuel. 16.  
 Saul. Item, Iehoua mandavit Semei, ut malediceret 2. Samuel. 16.  
Esa. 45.  
 Dauidi: & quis est qui audeat dicere: quare sic fecerit? Item,  
 Ego Dominus, & non est alter, formans lucem &  
 creans tenebras: faciens pacem & creans malum: Ego  
 Dominus faciens omnia hæc: *Va qui contradicit fictori*  
*suo: Numquid dicet lutum figulo suo: Quid facis? Item,* Ierem. la-  
mentat. 3.  
*Quis est iste, qui dixit, ut fieret aliquid, Domino non*  
*iubente? Ex ore altissimi nōne egrediuntur & bona*  
*& mala? Item, Tradidit eos Deus in passionem ignomi-* Rom. 7.  
*niæ, & in sensum reprobū, ut faciant ea, quæ non* Rom. 9.  
*conueniunt. Item, Cuius vult, miseretur: quem vult,*  
*indurat, & habet vasa ad dedecus, coagmentata ad in-* 1. Pet. 2.  
*teritum. Item, Lapis offensionis his qui non credunt,* Epist. Iude.  
*ad quod Positi sunt. Item, Subintroierunt homi-*  
*nes impij, qui olim præscripti sunt, in hoc iudicium.**

CXXXV.

*Hæc si rectè dixit Spiritus Sæctus, & rectè omnino intelligi  
 possunt: Cur nostrorum aliquot Theologorum phrasæ, & qui-  
 dem præteritis eorum interpretationibus tantoperè exagitant,  
 cum, ut ex allegatis locis liquet, non minùs iudicio carnis duræ  
 in Scripturis: duriores etiam in D. Lutheri libro de seruo ar-  
 bitrio reperiantur: ut nihil dicam de Huberi thesibus, tam  
 multa palam profana & hæretica continentibus, quas illi diu  
 tolerarunt & excusarunt. Hic scilicet est horum hominum can-*



38  
dor. Sed lubet nunc aliquot saltem calumnias ex Hunnianis  
thesibus lectoribus ob oculos ponere.

CXXXVI.

Rem. 9. CALUMNIA prima: Calvinum, Bezam & alios Ortho-  
doxos: quoties de salute Electorum, vel damnatione reprobo-  
rum agitur, omnia ad SOLAM Dei voluntatem, aut absolu-  
tum decretum referre. Nam, etsi prima & suprema Electionis  
& Reprobationis causa, ad quam nos D. Paulus deducit, &  
quæ omni vel Fidei, vel operum præiudicio opponitur, est DEI  
PROPOSITUM, & vel iustissima, vel misericordissima  
VOLUNTAS, ut loqui solet Augustinus: Sui tamen consilij  
executionem per certa subordinata media complet: quorum si  
Electos spectes, ipse idem autor est, ut vocationis efficacia, iusti-  
ficationis per Christum, & nostræ in eum inscriptionis: Reprobo-  
rum, quos iusto & inscrutabili iudicio præterit, peccata, ut po-  
te quæ illi sponte, non coacti committunt, haudquaquam effi-  
cit, vel suggerit, sed eorum iustissimus est ordinator & ultor.

CXXXVII.

Ratione itaque huius executionis & ordinis: nemo saluari  
dicitur, qui non sit datus Filio: qui non sit vocatus efficaciter, ei  
insertus per fidem, & iustificatus: Rursus nemo damnatur:  
quin sit extra Christum, & spontanea malitia cor habeat im-  
morigerum, à Deo alienum, & in tali incredulitate ac peruer-  
sitate perseueret.

CXXXVIII.

Beza expli-  
cationes suo-  
rum dicto-  
rum, quas  
adversarij  
dissimulant.

Et quia adversarij Bezam præ aliis allatrare solent, & apud  
vulgus Bezae explicationes dissimulare, ipsius responsionem ad  
nonnullas calumnias subiiciam, non quod in huius, vel illius Do-  
ctoris verba iurauerint Ecclesiæ Orthodoxæ: Verum ut vi-  
deant omnes, candorem merito in adversariis desiderari: Sic  
(inquam) ille 2. parte Resp. ad Colloq. Momb. p. 105. Nun-  
quam diximus, aut docuimus ita crudè aliquos ad æ-  
ternam damnationem creatos: sed addimus, huius  
decreti exequendi causam, in improbis hominibus  
hærare; nec dicimus, Deum quosdam velle damnare,  
qui



39  
qui vellent seruari: Nam licet nonnullorum noluit misere-  
ri, ideo tamen quia Dei verbum respuunt: nec vult Deus sim-  
pliciter damnationem, sed pœnam peccati, & gloria sua osten-  
sionem. Idem ibid. p. 177. Volente Deo (sc. ad probante)  
primos homines peccasse, minimè dixi: Sed nec inui-  
to, nec ignorante. Et pag. 108. Dicimus æternā *αἰώνιον*  
salutis nostræ nunquam in Dei abyssu: sed in patefa-  
ctione per Verbum & Sacramenta quæri debere.

CXXXIX.

Altera calumnia Hunnij in postrema disputatione: C A L- Theſy.  
VINIANOS facere Dei præscientiam omnium rerum præsci-  
tarum causam, & sic omnium scelerum ac flagitiorum quod  
falsissimum esse, omnes nostræ Confessiones, (ex quibus ne ver-  
bulum quidem in omnibus suis thesibus profert Hunnius) imò  
& omnia nostrorum scripta testantur.

CXL.

Quis enim ignorat præscientiam, licet in Scripturis non- 2. Timoth. 2.  
nunquam pro prænotione τῆς ὁδοῦ, qua specialiter nouit  
qui sui sint, accipiatur (quod Hunnius ipse diffiteri non potest) Theſ. 9.  
longè tamen patere latius quàm prædestinationem: cùm præ-  
scientia Dei sit vniuersalis, atque eorum, quæ Deus etiam non  
facit (ut monet Augustinus). Prædestinatio autem sempiter- Lib. 6 Hypo-  
na illa & semper ad bonum finem ordinata, nec ta- gnost.  
men conctitia, verùm iusta & misericors futuri operis Et lib. 1. de  
diuini in hominibus dispositio, ut Fulgentius lib. 1. ad Prædestin.  
Monimum docet. Sanct. ca. 10.

CXLI.

Multò minus adfert præscientia peccandi necessitatem:  
quæ naturam ipsam hominis & voluntatem non abolet, ut  
nec prædestinatio: Nec ideo peccamus quia præscit  
Deus: sed præscit potius (inquit Augustinus) quia pec- Ad Simpli-  
catur sumus. cian lib. 2.

CXLII.

Ad alia, quæ de Dei voluntate duplici, de Adami lapsu, &  
similibus obiiciuntur, sæpe nostri responderunt: sed de his nihil  
aliud



In disputat.  
de coheren-  
tia liberi ar-  
bitrij cum  
prædestinat.  
thes 44.

aliud sentire, aut loqui, quàm ut Augustinus & Lutherus  
contra Pelagianos & Semipelagianos locuti sunt: nec nobis  
quidquam obiicitur, quod Luthero à Pontificiis non fuerit ob-  
iectum, inter alios à Moguntinis: si in potestate hominis  
non est (inquiunt illi) vias suas bonas, aut malas facere,  
& necessitate absoluta eueniunt omnia, (quam in  
Deum blasphemiam euomuit Lutherus) quare pec-  
catores punit Deus? Hæc illi.

CXLIII.

Nos cum omnibus Orthodoxis credimus & docemus, etsi  
necessariò omnia fiunt, si antecedentem voluntatem & diui-  
num illud immutabileq; consilium voluntatis spectes, quod  
nec falli nec irritū reddi vnquam potest: neminem tamen illa  
voluntate cogi ad peccandum, nec natura vim fieri, sed causas  
secundas agere secundum suam naturam: & si quid liberi ar-  
bitrij homini superest, in eo consistere, quod nec inuitus, nec  
coactus, sed volens peccat.

CXLIV.

Vna proprie-  
tas eaque con-  
suetudo Dei vo-  
luntas.

Neque pugnat voluntas beneplaciti cum voluntate signi:  
quia hæc ostendit, non quid in omnibus efficiat, sed quid pro-  
bet & requirat Dominus: cuius una, perpetua & constantissi-  
ma est voluntas, ut Credentes, id est Electi & dati Filio non  
pereant: Reprobi, & non venientes ad Christum, sed extra  
Christum manentes, pereant.

CXLV.

Ca. 100 En-  
chirid.

Denique peccata nec vult, id est non probat, nec efficit: Interim  
ineffabili modo, (inquit Augustinus) non fit præter eius volun-  
tatem, quod etiam contra eius sit voluntatem: quia non fieret,  
nisi sineret: nec sineret, nisi posset de malo facere bonum.

CXLVI.

Errores Hæ-  
reticorum, nomina-  
tim eius Pe-  
lagianismi.

Sed indicatis calumniis, conféro me ad errores aliquot Hæ-  
reticorum, & in primis ad eum, cuius meritò ab aliis etiam nonnullis  
vicinis sibi Theologis, Helmstadianis nimirum reus peragi-  
tur, & quem à se remouere non potest, licet latebras varias  
querat, & tortuosa oratione errorem inuoluat, nempe PELA-  
GIA-



41  
GIANISMVM, aut saltem reliquias illius erroris, in dogmate de PRÆVISA FIDE, quam facit causam nostræ ad salutem Electionis.

CXLVII.

Et mirum est hominem magna opinione sciētiae turgidum, & audacissimum omnium à se dissentientium censorem tam turpiter hallucinatum, & tam precipitem in excerptis Augustini dictis fuisse, ut in postrema disputatione Vitebergensi thes. 72. tanquam Augustini sententiam citauerit, quod Augustinus non uno in loco, imò in illa ipsa pagina, & illo ipso capite, ex quo sua depromit Hunnius, retractauit.

Oscitantia  
vel malitia  
Hunnij in-  
signis,

CXLVIII.

Hæc enim Hunnius ex libro Augustini de predestinatione Sanctorum cap. 3. pro se adfert: Ad hoc perduxeram rationationem (inquit Augustinus) ut dicerem: Non ergo elegit Deus opera cuiusquam in præscientia, quæ ipse daturus est: Sed Fidem elegit in præscientia, ut quem sibi crediturum esse præsciuit, ipsum elegerit: Hæc citat Hunnius, omissa, vel impudenter, vel imprudenter eaque statim postea sequitur retractatione: Nondum diligentius quæsiueram, (subiicit Augustinus) nec inueneram, qualis sit Electio Gratiae: nec id dixissem, si sciuissem ipsam Fidem inter Dei munera reperiri: nam dicitur 1. Tim. 1. Misericordiā consecutus sum, ut fidelis essem, non quia fidelis eram. Illam itaque opinionem de fide præuisa tanquam reliquias Pelagianarum assertionum se retractasse, tum ibi, tum lib. 1. Retract. cap. 23. ingenuè profitetur.

CXLIX.

Et eodem lib. de Prædestin. Sanctorum cap. 16. Numquid dixit Paulus vocationem non esse ex operibus, SED EX CRE- Rom 9.  
DENTE: prorsus hoc etiam abstulit homini, ut TOTVM daret Deo.

CL.

Nunc verò paucis expendemus, quàm perniciosus sit ille error, & cur dogma illud de fide præuisa, amplectendum nonnulli existiment.

F

Ac



42

Dogma de  
Fide præuisa  
cur pericu-  
lolum.

## CLI.

At præscientiam quidem, cum sit rerum futurarum agnoscunt omnes sane mentis homines improprie Deo tribui, cui nihil futurum: omnia verò præsentissima: Proprie enim ei scientia tribuitur: Præscientia verò non, nisi rerum, quas disposuit ipse, quæque futuris temporibus manifestandæ erant, respectu.

## CLII.

Ioh. 6 v. 64.

Etsi porrò omnia scit & nouit, & nouit ab initio qui credituri erant in eum: non tamen est prænotio illa causa rerum: quia res non tales sunt ob illam prænotationem, sed quia tales futuræ erant, eo vel agente, vel preparante, vel permittente & ordinante, ideo eas nouit. Sic & præcognouit & preparauit bona opera, in quibus ambularent Electi, neque sunt illa tamen causa Electionis.

Ephes 2.

## CLIII.

Et præcognouit Fidem Electorum, quam scilicet eis daturus erat, & media ordinauit, per quæ ad illam adduceremur, vocationem efficacem per Spiritum Sanctum & Verbum: quæ suo modo causa dicuntur salutis & fidei, cum Dei respectu sint dona & effecta nostræ Electionis & reuocantur omnia illa, vocatio & iustificatio ad primam veramque causam nostræ tum Electionis, tum salutis, gratuitam scilicet Dei voluntatem, ut illi soli in solidum laus nostræ salutis ascribatur.

## CLIV.

Ideò non minùs dicitur Deus nos vocare, iustificare & glorificare, quàm eligere ad vitam æternam.

## CLV.

Non igitur queritur, an Deus non præuiderit Fidem Electorum: annon Dei dona suo modo causa dici possint aliorum donorum: Vocatio Fidei, Fides iustificationis, iustificatio glorificationis: Sed an Deus eligendo nos motus fuerit respectu aliquo Fidei, vel operum, quorum præuisio causa esset nostræ Electionis: illius scilicet, quæ ab æterno, & antequam Mundus esset, facta est.

Qui



CLVI.

Qui illam sententiam sunt amplexi, decepti falsa ratiocinatione fuerunt, quod Dei Electionem ita comparatam fuisse, sibi persuaferunt, ut est Electio humana, qua non eligit aliquid, nisi quod aliquam præ alio præstantiam habere videatur: & quod ita Deum melius excusari putarunt, si dicatur elegisse eos, quos dignos fore præuidebat: reiecisse, quos indignos & incredulos fore præuiderit.

Fons illius erroris.

CLVII.

Atqui Dei Electio, quia est gratuita, & non inuenit, sed facit eligendos, longè aliter se habet, quàm humana Electio. Unde illud Esa. 43. Non me inuocasti Iacob, nec laborasti pro me. Et Iob. 15. Non vos me elegistis. Et I. Iohan. 4. Non quod nos dilexerimus Deum, sed ipse dilexit nos. Neque opus habet Deus ulla excusatione in sua Electione: cum & liberrima sit eius voluntas: & eadem omnis iustitiæ norma.

CLVIII.

Talibus certè patronis non eget Dei liberrima & sanctissima voluntas: & per talem euasione de fide præuisa nondum solueretur questio: Cur his detur Fides: aliis non detur: qui naturâ eiusdem plane sunt conditionis & ex massa eadem: quandoquidem ij cum quibus nunc differimus, fateri coguntur Fidem esse Dei donum.

CLIX.

Sententiam itaque illam tanquam periculosam, & nervos Pelagianismi fouentem, se retractasse profitetur Augustinus his grauißimis adductum rationibus. Prima ratio: quod Fides cum sit Dei munus, & effectum Electionis in nobis, non rectè eius causa præuisa dici potest: Qui præscire potuit (inquit Augustinus) quod non erat, nisi quatenus certis hominibus eam dare ipsi placuit. Altera ratio: quod Electionem constet esse gratuitam, ex Dei & doxiâ, & consilio voluntatis, non ab hominum vel Fide, vel operibus pendentem.

Augustinus cur suam sententiam de Fide præuisa retractarit.

Lib. 7 contra duas epistolas Pelag.

Ephes. i. ver. 5. & 11.

F 2 Nec



44

Effugia.  
Hunnij.

CLX.

*Nec valent hæc effugia: Atqui fatemur fidem gratis donari, & Electionem non esse ex merito, sed ex Dei gratia, & si gratuita iustificatio potest constare, licet accedat Fidei respectus: ita & Electio gratuita manet, licet Electi dicamur ob Fidem præuisam.*

CLXI.

In prima  
primæ quæst.  
23. Artic.

*Ad prius enim effugium respondemus: nondum tolli inconueniens, vel remoueri suspicionem Pelagianismi, licet dicatur, non hic alicuius meriti rationem haberi: Nam & Pelagiani olim fatebantur, & fatentur Pontificij, primam illam gratiam non habere rationem meriti. Et scribit Thomas Aquinas, nullum vnquam tam insanum fuisse, vt diceret merita esse causam prædestinationis. Illud itaque Hunnio opponimus: Si causam aliquam præiudicet & habuit Deus, quæ illum impulerit ad nos eligendos, non gratis & ex mera voluntate electi fuimus: Sed ob aliquam dignitatem nostram: undecunque illam dignitatem nacti simus: & antecessit nostra dignitas & præuisa Fides ipsam Electionem tanquam eius causa.*

CLXII.

Rem. o.  
Ephes. 1. v. 5.

*Ad alterum effugium quod attinet, siue ad illam instantiam de iustificatione, quæ gratuita manet, licet fide quoque iustificari dicamur: respondemus, primum Scripturam nusquam ita loqui, nos ob Fidem præuisam eligi: sed docere potius nos eligi antequàm non solum crederemus, sed & antequàm essemus, & vt D. Paulus subinde inculcat, quæ est altera ratio vt paulò ante diximus, quæ Augustinum, valde mouit: Electionem esse ex vocante secundum propositum. Item, Deum nos adoptasse in S E S E.*

CLXIII.

*Deinde longum est discrimen inter Dei Electionem & inter ordinem, siue executionem consilij Dei de nobis seruandis: Habet enim Electio media subordinata, sed quæ causæ antecedentes, aut impellentes Electionis dici nequeunt.*

*Si dicunt*



CLXIV.

Si dicunt Fidem esse causam instrumentalem, vel applicantem, ut Hunnius, & nonnulli eius socij trepidè alicubi scribunt: summam produnt inscitiam: instrumentalem causam fingentes antequam ulli homines essent, qui apprehenderent Electionem, & confundentes iustificationem fidei quæ fit in tempore cum illa Electione, quæ ante omnia tempora facta est: nec non terminos quos Hunnius ipse ponit, *A QVO, & PER QVEM*. Præterea Fides propriè instrumentum est, non quo Electio illa ante secula apprehendatur, sed Christus in Evangelio manifestatus: Neque propriè dicitur Fides causa, imò nec cōditio ipsius iustificationis: ut discere debuit Hunnius ex thesibus sui præceptoris D. Herbrandi de Iustificatione: Sed fide servari dicimur ratione obiecti, Christi videlicet, in quem credimus.

CLXV.

Et fuit illa quoque ratio tertia, quam Augustinus ponderavit, Fidem quæ datur in tempore, & quæ in nobis non est, nisi quatenus à Deo donatur, non potuisse esse causam prævisam eius Electionis, quæ facta est antequam velessemus, vel crederemus. Nam quomodo sit Fides causa illius remotæ & primæ causæ, Electionis, scilicet quæ non est causa secunda gratiæ, siue vocationis, qua Fides donatur, nec proximorum mediorum, verbi scilicet & Sacramentorum.

CLXVI.

Quod si ob aliquam prævisionem nostri futuri status Electio facta esset, nullus Electus fuisset, cum Deus nihil prævidere in hominibus potuerit, nisi miserandum illum lapsum, ex quo nemo se erigere poterat, nisi ab aeterno certos elegisset, quos ereptos ex potestate Sathanae vasa faceret suæ misericordiæ.

CLXVII.

Neque enim ita evadit Hunnius, aut illi inconuenienti medetur, cum thes. 54. ait Deum non alio modo nos servare in tempore, quàm quo modo nos ab aeterno servare constituit: Li-

E 3 cet ergo



et ergo Electio sit ab aeterno fides in tempore eandem esse rationem. Hic enim rursus Hunnius terminos quos posuit, A QVO & PER QUEM miscet, & cum quærat de prima causa salutis, respondet de mediis & instrumentis: Cum de seruandis, nempe de Electis quærat, respondet de modo quo ad salutem perducantur.

## CLXVIII.

Concurrunt certe in illo dogmate errores multi & absurda multa: quandoquidem causa efficiens cum materiali, nec non cum instrumentis & effectis, item preparatio aeterna donorum cum ipsis donis in tempore communicatis, actio Dei cum actione hominis confunduntur, & omnis Electionis certitudo tollitur, & à Deo in hominem transfertur.

## CLXIX.

Hunn. di-  
put. Marp.  
thes. 85.  
Thes. 192. di-  
spu. V. Viteb.  
Mylius thes.  
159. & 119.

Quomodo enim de Pelagianismo se excusare possunt, qui Electionem ad vitam aeternam à Deo non pendere, in homine situm esse, si velit, ut sit vel Electus, vel Reprobis, fortuitoque hominem damnari asserere non dubitant?

## CLXX.

Loca Scri-  
ptura ab  
Hunnio de-  
prauata.

Sed in primis dolendum est, illos homines, qui pertinaces in errore esse malunt, quam à veritate vinci, quæ tamen val inuitos eos vincet, ipsis Scripturis, quas violenter ad suas presumptiones torquere conantur, haudquaquam parcere, ut nunc liquido ostendemus.

## CLXXI.

Hunn. thes.  
230. disput.  
prioris V. Vi-  
teberg.

Ioh. 10. & 6.  
& 17

Et in his rursus suum Pelagianismum dissimulare non possunt: veluti cum locum Iohannis 10. de OVIBVS Christi, non de Electis: Sed, sicut Pelagius, de iis, qui ad Christi vocem audiendam se comparant, & tantisper de eius manu non rapiuntur, dum in hircos non degenerant, interpretantur: Cum Christus tamen disertè dicat, neminem illas rapere posse: Item, nullum ex iis perire qui dati sunt ei à Patre: Vnde etiam Augustinus in illud caput scribens, monet multos lupos esse in ouili Christi, qui scilicet licet audiant, non sunt ex numero Electorum, nec



rum nec seriò credunt: Foris multas esse oves, quæ licet ad tem-  
pus vagantur inter lupos, ratione Electionis in ovium nu-  
mero rectè censentur.

CLXXII.

Totum verò locum capituli noni epistola ad Romanos con-  
tra Scripturæ, item contra Augustini, Lutheri, Brentij, D.  
Herbrandi, & aliorum suorum præceptorum sententiam in-  
terpretatur: negās ibi agi de prædestinatione, siue de Iacobi ele-  
ctione, aut Esau reprobatione: Sed de reiectione posterorum  
Esau ex terra Canaan possessione: cum disertè scribat Augu-  
stinus, quem supra dicti interpretes secuti sunt, prædestinatum  
esse Iacobum, ut esset vas in honorem.

De prædest.  
& gratia  
cap. 6.

CLXXIII.

Audet etiam affirmare Hunnius, nulla ibi vasa dici appa-  
rata ad interitum: quandoquidem omnes, inquit, natura sunt  
filij iræ: in quo committit partim falsum: partim ignoratio-  
nem Elenchi: Falsum: quia expressè capite illo, versu 22. quæ-  
dam apparata, aut coagmentata ad interitum dicun-  
tur. Ignoratiōem Elenchi, quia inter omnes Theologos con-  
stat Paulum ibi non differere de peccato originali, siue de natu-  
ra totius generis humani corrupta, sed de certis hominibus,  
quorum is misereri noluit, qui cuius vult, miseretur, &  
quem vult, indurat.

Rom. 9.

CLXXIV.

Sic & locum 2. Thess. 2. manifestè depravat, ut illud suum  
theoremata probet, Fidem præuisam esse causam Electionis,  
quod dicatur ibi Deus nos elegisse ad salutē ἐν πίσει ἀληθείας,  
in fide veritatis. Atqui ibidem dicitur nos elegisse in san-  
ctificatione Spiritus: Ergo ne & Sanctificatio est causa æ-  
ternæ nostræ Electionis? Quis igitur non videt ibi agi de fine  
nostræ vocationis in Ecclesiam, & executione Electionis illius  
gratuitæ, præsertim cum dicat Apostolus, nos per Euangelium  
tum ad Fidem tum ad illam sanctificationem vocari, ac ibi ἐν  
(ut alibi sepe) accipi pro eis: quemadmodum & supra, 1. Thess.  
4. monuit,

Thess. 4.6.  
ultimæ di-  
sput.



4. monuit, nos ad sanctificationem esse vocatos.

CLXXV.

Eadem fronte, & planè Pelagiano sensu locum illum Act. 13. cuius iam suprà mentio facta est, & quem omnes hætenus Theologi etiam Græci de ordinatis per prædestinationem ad vitam æternam intellexerunt, actiue de nostra dispositione accipi vult.

CLXXVI.

Ludit autem fallacia homonymias Hunnius, cum ad suum dogma probandum ait, D. Paulum Rom. 8. scribere, prædestinatos esse eos, qui præcogniti erant, quod & Augustinus docuerit, Tractat. 42. in Iohann.

CLXXVII.

Apostolus enim præscientiam Fidei, causam prædestinationis facere non potuit, cum credant ij demum, quos Deus gratis elegit, efficaciter vocauit, & quibus prædestinatis ad vitam fides suo tempore datur. *ᾠϥνωσις* verò Rom. 8. & 1. Petr. 1. ubi dicimur, Electi κατὰ *ᾠϥνωσιν*, nihil aliud significat, quàm specialem illam notitiam τῆς ἔδοξης: de qua 2. Tim. 2. Nouit Deus qui sui sunt: Siue quod alibi vocat *ᾠϥδεσι*: Item, Consilium voluntatis sue: quo sensu etiam dicitur, non abiicere populum, quem præcognouit. Rom. 11.

Eph. 1. v. 11.

CLXXVIII.

Ac ita Patres præscientiam nonnunquam pro prædestinatione, vel gratioso proposito accipiunt, ut seipsum interpretatur Augustinus, illo ipso loco, quem Hunnius ex Tractat. 42. in Iohan. profert, in illa Christi verba Iohann. 8. Qui ex Deo est, verba Dei audit: Non merita, (inquit Augustinus) discernit, aut in hominibus aliquid inuenit: Sed præsciuit Christus, qui fuerant credituri. Illud PRÆSCIUIT urget Hunnius: sed Augustinus subiicit: Secundum hanc PRÆDESTINATIONEM locutus est Dominus, non quod inuenit, qui iam essent ex Deo: quæ verba totam Hunnij hypothesin manifestè euertunt.

,ceN



CLXXIX.

Nec quicquā facit pro Hunnio locus ad Hebraeos undecimō,  
quem tanquam Aiace clypeum opponit, Neminem sine  
FIDE Deo placere: Ergo nos sine Fide praevisā non potuisse  
eligi.

CLXXX.

Nam iuxta hanc hypothese nemo electus fuisset, cum ni-  
hil haberemus quod Deo placeret, & nihil simus, nihil creda-  
mus, nisi quatenus ille in nobis efficit, velle & perficere. Philipp. 2.

CLXXXI.

Malè itaque tribuit Fidei praevisā, quod potius cum Scri-  
ptura tribuere debuit gratiae, & Christo, in quo Electi sumus  
& dilecti, quem idcirco praeordinatum scilicet Mediato-  
rem & praeordinationis speculum esse scribit Augustinus: prae-  
posterèque semper Hunnius Electionem cum Iustificatione  
confundit.

CLXXXII.

Hoc Deus, inquit Fulgentius lib. 1. ad Monimum c. 14.  
gratuita iustificatione tribuit praeordinatum quod in æ-  
terna praeordinatione praeordinaverat tribuendum.

CLXXXIII.

Sine praevisione fidei ergo nostrae, (interueniente scilicet,  
ut causa) eligimur, & praeordinamur: Sed sine ea, inquit Au-  
gustinus, à reatu peccati absolui non possumus. De fide ad  
Petrum cap.  
34.

CLXXXIV.

Et licet, inquit idem, verum est, misericordiam tribui Cre-  
dentibus: semper tamen queritur, vtrum Fidei meritum  
vel donum praeueniat misericordiam, quod omnino ne-  
gandum est, cum misericordia facta sit, ut fideles essemus. De prae-dest.  
& grat. ca. 3.  
1. Tim. 1.

CLXXXV.

Sic vult Scriptura nos distinguere inter primam illam gra-  
tiam ex libera Dei voluntate, manantem, qua certos elegit,  
quos daret Christo, & per eum seruaret, & inter illam gra-  
tiam, qua dati Christo iustificantur & perducuntur ad salu-  
tem:  
G tem:



tem: & manet utrunque verum: nos videlicet ratione primæ illius dilectionis, quæ cum Electione concurrir, dilectos càm nihil essemus, & sine ullo alicuius dignitatis aut qualitatis respectu: & tamen non placere Deo, id est, non esse reconciliatos, nisi interueniente merito Christi.

CLXXXVI.

Ita dilexit  
Deus mun-  
dum.

Missio quippe Christi & aduentus in Mundum non est causa efficiens dilectionis Dei: Sed, ut Christus docet Iohan. 3. Dilectio Dei causa missionis Christi: & Christus causa materialis salutis: Electio, terminus à quo: Christi meritum, terminus per quem.

CLXXXVII.

Idcirco etiam hac loca Pelagianis opponere solebat Augustinus. Deuteron. 10. Vbi gratis dilecti Patres dicuntur: cùm populum illum inuenisset sordibus plenum. Ezech. 16. Item illud Esa. 43. Non me inuocasti Iacob, nec laborasti pro me. Item Esa. 65. Inuentus sum ab iis, qui me non querebant: Item. 1. Ioh. 4. Non quod nos dilexerimus: Sed ipse dilexit nos. Vbi ex parte nostri non solum meritoria causa, sed omnis dignitas, apprehensio, preparatio excluduntur.

CLXXXVIII.

Quapropter nihil aliud facit Hunnius, falsam suam hypothesein pertinaciter defendens, quàm ut errores erroribus cumulet, & hæc axiomata Theologica à Luthero ipso, Brentio, D. Herbrando & D. Schnepfio, aliisque præceptoribus comprobata, secutus Iacobum Andream, cuius discipulus esse mauult, quàm Christi, quàm Pauli, quàm Augustini, & illorum præceptorum, infringat.

CLXXXIX.

Axiomata  
Scripturæ  
Patrum &  
præceptorū  
Theologorū  
ab Hunnio  
in dubium

Constanter enim illi docuerunt: 1. Electionem & decretum à solo Deo, eiusque beneplacito proficisci: qui nos in sese adoptauit. 2. Certum esse numerum Electorum ad vitam æternam: iuxta illud. Tim. 2. Solidum fundamentum Dei stat, habens sigillum



51  
Sigillum hoc: Nouit Dominus eos qui sui sunt. Item Au-  
gustinus de corrept. & Gratia: Predestinatorum in regnum  
Dei, ita est certus numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec  
minuatur ex eis. Idem Brentius in 9. ad Roman. & D.  
Schnepffius in disputat. de predestinat. thes. 19. & 26.

Rursus Augustinus: Firmissimè tene, & nullatenus dubi-  
ta, omnes quos vasa Misericordiae gratuita bonitate Deus se-  
cit, & ad regnum cælorum predestinauit, perire non posse.

Et in illa verba Psal. 69. Deleantur de libro vitæ, Fra-  
tres, (inquit) id non sic accipere debemus, quod aliquem scri-  
bat, & postea deleat: Predestinauit enim ante Mundi consti-  
tutionem omnes regnatos cum Filio suo in vita æterna. Sed  
dicuntur deleri, non qui scripti essent, sed qui scripti  
videbantur, aut se scriptos esse putabant.

Contra Scripturæ & Evangelicorum doctorum consen-  
sum, docet Hunnius hominem si velit, posse credere, & D. Pau-  
lum electum hypotheticè si inchoatum cursum ad metam vs-  
que perficeret: Item, Electis adscriptum Paulum, quod sciret  
Deus eum non defecturum à fide: Quibus verbis satis ostendit  
Hunnius se Electioni Dei & beneplacito eius admodum parum  
tribuere, & se valde imperitè notas Electionis eiusque effecta  
cum causa prima & efficiente confundere; & cum Pontificius  
planè dubias reddit conscientias, dum Electionem eiusque  
certitudinem in nostra perseuerantia constituit. Et huc acce-  
dit, quod in nostro Velle credendi potestatem parum Ortho-  
doxè ponit, cōtra illa Christi dicta: Nemo potest venire ad  
me, nisi fuerit ei datum à Patre, Item: Nemo potest  
venire ad me, nisi Pater traxerit eum. Item: Vobis da-  
tum est nosse mysteria regni cælorum.

Pugnat & illud cum Ecclesiæ consensu, quod reprobationis  
causam nullam agnoscat, quàm quod nolint audire, vel crede-  
re nolint homines, quæ quidem causa est damnationis: Sed re-  
probationis alia causa altior inuestiganda est, cum, ut monet  
ex D. Paulo Augustinus, reprobatus & odio habitus fuerit

Contrarium  
docet Hun-  
nius thes.  
200. & 199.  
disputatio-  
nis prioris  
VViteb. de  
predest. pos-  
se augeri  
num. erum:  
Electorum:  
& Electos  
excidere pos-  
se gratia.  
De fide ad  
Petr. cap. 75.  
Contrarium  
de libro vi-  
tæ sentiunt  
Hunnius &  
Mylus suis  
thesibus.

3.  
Thes. 201. &  
204. & 220.  
disputat  
VVite. prio-  
ris.

4.



52  
Esau, non solum antequam audiisset, aut illa media esset as-  
spersus: Verum etiam antequam natus esset. Ita & multas  
gentes prateriit, quibus media illa credendi, predicatio ver-  
bi, Sacramenta & similia nunquam communicata sunt, ut  
nominatim Augustinus lib. de persenerant. Sanct. cap. 14. Ty-  
riorum & Sydoniorum exemplum adfert: de quibus Christus  
pronunciat, si ea audiissent & vidissent, quae Capernaïta, vel  
Chorazin, & Bethsaïda, futurum fuisse, ut poenitentiam age-  
rent, non autem ut absurdè scribit Hunnius, thesi 115, potuisse  
fieri Electos, & numerum electorum contractiorem, & etiam  
auctiorem fieri posse. Concludendum itaque cum Apostolo,  
misereri Deū cuius vult, & admiranda & inscrutabilia  
esse eius iudicia. Et sic hac de re scribit Brentius in 16. Acto.  
ubi Paulus & Silas vetiti dicuntur docere in Asia & ire in  
Macedoniam: Cur id, inquit, factum, cum uterq; populus  
iusdem Idololatriis & sceleribus deditus esset: Certe NULLA  
alia causa apparet, quam id quod Dominus per Moysen dicit:  
Miserebor cuiuscunque misereor: omnes homines sunt ater-  
na morte digni, si aliquot inde liberat, est eius misericordia, si  
reliquos perire sinat: non est crudelis iniustitia, sed debita ius-  
titia.

CXC.

Quare rectè Augustinus contra Hunnium asserentem, non  
opus fuisse reprobatione impiorum ad Dei iustitiam, vel mise-  
ricordiam commendandam: Non appareret, inquit, bene-  
ficium, quod quibusdam gratis tribuitur, nisi Deus  
aliis ex eadem massa pariter reis, iusto supplicio dam-  
natis, quid utrisque deberetur, ostenderet.

Lib. 2. de cō-  
tra duas e-  
pist. Pelag.  
cap. 7.

CXCI.

Et hæc quidem de erroribus Hunnij, Fidem, quæ nulla ta-  
men fuit in homine ante Electionem facientis causam nostræ  
Electionis, non meram Dei Quidoniam, & Electionem ab homi-  
nibus suspendentis, dubiamque ac incertam facientis, ac repro-  
bis, quos Deus testatur non esse ex numero suorum, & quibus  
cor novum non datur, potestatem hanc in suis thesibus tribuen-  
tis, ut



53  
tis, ut filij Dei fieri possint, quod aliud nihil est, quàm augustis-  
simam illam doctrinam Electionis diuinæ funditus conuellere:  
nec illum mouit dictum illud saltem Lutheri in præfat. in epi-  
stolam ad Roman. Ex prædestinatione vel Electione  
fluere & prouenire, quis sit crediturus: non autem, Ele-  
ctione ex nostra Fide.

CXCII.

Et isti scilicet homines ab Ecclesia, à suis præceptoribus, & De seruo ar-  
inter se dissidentes, Deumque facientes idolum Fortuna, ut bitrio con-  
Lutherus olim monuit, & Mylium scribere non puduit, ho tra Erasmi.  
mines fortuito damnari: Illi scilicet potestatem habebunt Mylius thesi  
pro suo arbitrio quosuis proscribendi, & quiduis in Ecclesia de prædesti-  
præscribendi: de sanis saucij: de integris vulnerati: de stanti- nat. 119.  
bus lapsi iudicandi, ut in epistolis loquitur Cyprianus.

CXCIII.

Pareant, pareant illi potius huic piæ B. Augustini commo- De gratia &  
nesactioni: Moneo vos, ut de iis, quæ intelligitis, Deo libero arbi-  
gratias agatis: quicquid est, quò peruenire nondum trario ad Va-  
mentis vestræ intentio potest: pacem seruantes, ut lentinæ.

CXCIV.

Nobis certè, qui non sine gemitu illorum hominum sese  
cum magno Ecclesiæ scandalo mutuò mordentium, peruica-  
ciam intuemur, nō est constitutum perpetuò cum surdis loqui,  
aut cum phreneticis contendere: Sed posteaquàm Ecclesiæ ve-  
teris & recentioris de hoc dogmate sententiam repetiimus, ab  
illorum hominum præiudiciis ad Ecclesiæ Catholicæ & Ortho-  
doxæ iudicium prouocamus, eique nostras has theses subiici-  
mus.

FINIS.

Menſe Decembri.

1594.



54

Augustinus lib. 1. de hæresi  
contra Manich, cap. 3.

**V**BI quæritur, cur ita fecerit Deus, re-  
spondendum est, quia voluit. Quod  
si rogādo pergās, cur ita voluerit, maius  
aliquid quæris & sublimius Dei VOLVN-  
TATE, quod inueniri non potest: Com-  
pescat igitur se humana temeritas, &  
quod non est, ne quærat, ne quod est,  
non inueniat,













Ge 133

ULB Halle  
002 178 605

3



Sb.


Handwritten signature or initials

Handwritten mark









P E  
N I

EIV

Theses h  
monitori  
quas non  
Prædestin  
Christi in

Et ad pio  
orthoc

A DAN  
Profess

Apud ABR

A

Clariss. of  
Berjmann

